



David M. Lewis
Ch. Ch, Oxford
February 1957.

# COMMENTATIONES LYSIACAE.

SCRIPSIT

DR. C. M. FRANCKEN,

LITT. PROF. IN ACAD. GRONINGANA.

TRAIECTI AD RHENUM,

APUD KEMINK ET FILIUM.

1865.

FRANCISCO. ZACHARIAE. ERMERINS

MEDICORUM. ΦΙΛΟΛΟΓΩΤΑΤΩΙ

AMICO. DULCISSIMO

D. D.

C. M. FRANCKEN

# PRAEFATIO.

In Lysia edendo plerique adhuc hoc unice egerunt, ut maculas, quas librariorum incuria adspersisset, eluerent, de oratoris virtute omnino et dicendi genere explorando parum solliciti. Nec mirum. Tantae enim salebrae in via pedem retinebant, ut in singulis haerere vel inviti cogerentur. Eae ne nunc quidem remotae; nec spes est fore, ut aliquando sanus et integer nobis ex officinis criticorum Lysias prodeat. Veruntamen nostra aetate certiori fundamento nisa critica solam Palatini auctoritatem agnovit; unde textum, ut aiunt, diplomatica fide constitutum nacti sumus. Tum coniuncta multorum opera (ex quibus primus memorandus COBETUS, porro BAKE, SAUPPE, KAYSER, SCHEIBE, RAUCHENSTEIN, HAMAKER, VAN HERWERDEN) hunc oratorem nunc multo certe emendatiorem habemus, quam qui Dobrei aetate

legebant, plane autem alium ac diversum ab eo quem Taylorus et Marklandus tractabant. Vel sic tamen supersunt multa ad quae refingenda et sananda multorum etiam industria et acumen requiruntur. Itaque tentaturus nunc, ecquid bonae frugis afferre possem, Lysiam „legi et ut potui emendavi." Omissis enim locis, de quibus nihil novi proferre possem, dedi quae ipse nova invenissem aut ab aliis iam inventa novis argumentis firmare possem.

Interim mihi subsistere non visum est in emendatione, sed saepe locis, qui insanabiles essent, quid tenor sententiarum postularet definire conatus sum, ut etiamsi verba restituere non daretur, mentem certe oratoris ex tenuibus subinde indiciis indagarem, exempli causa tantum verba quaedam proponens, quibus ille uti potuisset. Etenim quemadmodum ex ruderibus de aedificii ambitu et forma iudicare licet, sic ex fragmentis orationis, sive illa sparsa apud multos auctores inveniantur, sive collecta plenae orationis nomen iniuria prae se ferant, de totius orationis forma et habitu iudicare licebit. Id autem studui, ut non ex paucis integrioribus orationibus sed ex quam plurimis plene ingenium Lysiae quale fuisset mihi informarem. Operae enim pretium videbatur disquirere, quid de Lysiaca eloquentia, a plerisque summis laudibus celebrata existimandum esset. Quod si quis differre volet donec purum habeamus contextum, primum parum est illud definitum, quem „purum" dici conveniat, tum omnino exspectabit „dum defluat amnis." Itaque Dionysium Halicarnassensem, cuius in auctoritate

plerique acquiescunt, sub examen vocare placuit. In quo quum eruditis scriberem, non de iis, quae satis nota essent, disceptare volui, sed quaedam exstantiora lineamenta adumbrare, ut quatenus eius laudibus orationes nobis servatae responderent, appareret; tum si quae tanto praeconio inferiores esse viderentur, exquirerem, utrorum esset culpa, oratorisne ipsius an vicissitudinum, quas eo mortuo orationes expertae essent.

Non mihi proposui, nec tamen veritus sum Lysiae detrahere „haerentem capiti multa cum laude coronam;" itaque libere dixi quae mihi improbanda viderentur. Veruntamen erant quaedam eiusmodi, ut non possent ulli oratori, cuius aliquod nomen fuisset, nedum Lysiae adscribi; et tamen haec inveniebantur in orationibus, quae ceteroquin formam Lysiaci ingenii sibi quasi impressam habebant; et erant talia, quae ex describentium errore vix explicari posse viderentur. Unde apparere putabam, multis casibus, veluti aut interpolationi aut omissioni has orationes expositas fuisse, antequam formam, qua hodie feruntur, induissent. Legimus aliquot pro integris, quae, quum breviaria tantum sint, non nisi umbram ingenii Lysiaci habent. Quod num probabiliter ostenderim penes benevolum lectorem iudicium esto.

Commentationes hae iam initio huius anni ad editionem paratae, exeunte mense Iunio prelo subiectae sunt; eorum igitur quae hoc anno de Lysia prodierunt, rationem habere non potui („Westermann, Quaestionum Lysiacarum pars altera," programma Lipsiense huius anni; Rauchenstein, ed.

IV, Berol. 1864). Quae ad orationes I, III, IV, VII, XII annotata sunt, olim inserta Philologo Goettingensi, hic aucta et emendata iterum prodeunt. Ceterum si quae sint, quae ab aliis iam occupata tanquam mea protulerim, quod etsi sedulo vitare studui, fieri tamen possit propter magnum numerum criticorum, qui in Lysia operam ponunt, veniam mihi peto, lubensque iis inventionis laudem, si qua fuerit, concedo.

Scrib. Groningae, m. Octobri, a. 1864.

C. M. FRANCKEN.

# I. DE LYSIAE GENERE DICENDI.

## *De Lysiae* Ἠθοποιΐᾳ.

Lysiam qui post Dionysium Halicarnassensem laudare conetur, vereor ne Iliadem post Homerum scribere videatur; tantis ille laudibus extollit oratorem, ut paulum a perfecto abesse videatur. Et virtutes quidem eius ad capita quaedam revocat. Est enim secundum Dionysium purus eius sermo; orator propriis et vulgaribus utitur verbis; perspicuus et brevis est adeo, ut non omnem vim suam explicare videatur (*τῷ δὲ ῥήτορι περιουσίαν δυνάμεως ἐνδείξασθαι ζητοῦντι οὐχ ἱκανῶς* sc. *βραχύς ἐστιν ἐν τοῖς λόγοις*, c. 5); densus est et pressus in periodis (c. 6); magna eius est in narrationibus evidentia; optime mores fingit dicentium; nam ingenium iis bonum, elocutionem simplicem atque nativam tribuit, ordinem etiam gratum et ad persuasionem accommodatum, et in ipso artis qui videtur neglectu artem orator maximam habet; et eo ipso, quod non perite distribuere videtur, peritiam habet et vim persuasionis eximiam (c. 8); aptus est; pro diversis aetatibus, studiis, reliquisque, quibus homines inter se differunt variat orationem; aliter dicit coram populo, in iudicio, in festorum frequentia; aliter in principiis orationum, in narratione, in refutatione, in epilogo; denique gratia (*χάρις*) huius ea est, quam nemo aequiparaverit.

Unum est tantummodo in quo Dionysius praefracte Lysiam reprehendit; minus enim laudabilem dicit eius dispositionem c. 15 sub f.; *παρακελεύομαι τοῖς ἀναγιγνώσκουσιν αὐτὸν — τὴν τάξιν καὶ τὴν ἐργασίαν αὐτῶν (τῶν ἐνθυμημάτων) ἐνδεεστέραν οὖσαν*

τοῦ προςήκοντος μὴ ἀπὸ τοῦδε τοῦ ἀνδρός, ἀλλὰ παρ' ἑτέρων, οἳ κρείττους οἰκονομῆσαι τὰ εὑρεθέντα ἐγένοντο, τοῦτο τὸ στοιχεῖον λαμβάνειν. Quamquam rursus de moribus agens ordinis Lysiae hanc virtutem esse dicit, quod aptissimus sit ad persuadendum, et laudat, quod singula posita sint, ut casus ferret (c. 8). Sed priore loco verius iudicavit; nam etsi ne apud Demosthenem quidem exquisitissimum esse ordinem persuadet Dissenius (prooem. ad Orat. de Cor. a se editam), tamen eam consarcinandi rationem habet Lysias, ut Demosthene hoc, ut aliis nominibus, longe inferior sit. Compara ut hoc utar Agorateam, ubi transitus ad nova in refutatione hos invenies per se non malos, sed nimis inter se similes: § 49: θαυμάζω, ὅ τι ποτὲ τολμήσει ἀπολογεῖσθαι. 52: ἀλλ' ἴσως φήσει. 55: ἀκούω δ' αὐτόν. 58: ἀνομοῖος δέ μοι δοκεῖ Ἀριστοφάνει γενέσθαι. 70: λέξει δέ. 77: ἀκούω δ' αὐτόν. 85: ἀκούω δ' αὐτόν. 88: πυνθάνομαι δ' αὐτόν. Sed ut apparet Dionysium hoc vitium elevasse quantum posset, sic contra virtutes oratoris amplificandi studio movetur. In quo demonstrando nunc uno defungar sed certo exemplo. Novus hic, inquit, orator est in unaquaque oratione, ne in duobus quidem ex ducentis prooemiis incidit in easdem cogitationes; nec in ulla oratione prooemium a re tractanda alienum est (c. 18 sub f. ἀπηρτημένῃ τῶν πραγμάτων ἀρχῇ οὐ χρῆται). Sed orationes 16 et 24 prooemia eadem fere continent; gratum paene se esse accusatori dicit, quod sui defendendi opportunitatem sibi obtulerit; oratione tam 17 quam 19 imperitiam dicendi excusat reus; et rursus in posteriore prooemium paene ad verbum convenit cum Andocideo in oratione de Mysteriis. Ac si tanta laude celebratur Lysias, nescio quo praeconio celebrentur exordia Demosthenica, quae et simplicia et modesta et gravia eadem. Nihil melius in hoc genere quam prooemium ad primam κατὰ Φιλίππου (εἰ μὲν περὶ καινοῦ τινος πράγματος) et ad Olynthiacam tertiam (οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι). Et prooemium Thrasymachi apud Dion. Demosth. 3 minime postponendum Lysiacis; tantasque laudes admirarere in

homine, cui ne Thucydides quidem et Plato satisfaciebant, nisi ipse nos admoneret (c. 17 *αἷς αἱ τέχναι παραγγέλλονται*) in Lysia describendo et ad amussim exigendo, artis se suae non oblivisci. Atque in eo valet fortasse, quod Cicero de admiratoribus ieiunis Atticorum Orat. c. 7 dicit: „eloquentiam ipsius viribus non imbecillitate sua metiantur. Nunc enim tantum quisque laudat, quantum se posse sperat imitari."

In reliquis sunt quae nulla egeant demonstratione, quaedam etiam trita sic, ut verbum iis addere foret operam perdere. Igitur relicto ordine disputationis Dionysi illa tangere lubet, quae Lysiae soli propria aut cum paucis communia sunt. Intellegemus, opinor, etsi nimium in laudibus, tamen in summa rerum bonum existimatorem esse Dionysium praestantiae oratoriae. Ac primum de ἠθοποιΐᾳ Lysiaca agendum videtur.

Tralaticium effatum est, vera quae sint, sua se vi commendare, nec ullis indigere lenociniis verborum. *Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ, κοὐ ποικίλων δεῖ τἄνδιχ' ἑρμηνευμάτων. Ἔχει γὰρ αὐτὰ καιρόν.* Quod quum nemo facile neget, nulla tamen causa ita comparata est, quin iis qui sibi persuaderi *nolint*, perfugium aliquod dubitandi relinquatur; etenim quae in iure versantur pleraque sunt eiusmodi, ut iustam plenamque demonstrationem non admittant. Itaque ut *velint* sibi persuaderi auditores efficiendum est; et demonstrationi tanquam effectrix persuasionis succedit vicaria aut se adiungit opinio de probitate et moribus dicentis, nec causa tantum, sed ipse qui dicit auditoribus probari debet. Nam quemadmodum ab improbo homine vel optime dicta reiiciunt auditores, ita contra facile amplectuntur quae proferuntur ab eo, quem fide dignum existimant, lubenterque labori singula explorandi et scrutandi ipsi parcunt. Namque vulgo homines non iudicant ratione rite conclusa nec testimoniis bene ponderatis, sed ex praesumta quadam opinione de virtute et improbitate. Ergo in iis civitatibus, quibus, ut Athenis fieri solebat, multi et ex omnibus ordinibus sorte lecti iudices sedent, quorum animis facilius imponitur, quam pe-

ritorum iudicum, qui in iure dicundo aetatem terunt, et ubi accusati suam ipsi causam dicunt, quibus si contingit, ut *se* probent, simul *causam* probaverunt, talibus igitur in civitatibus nihil debet oratori antiquius videri, quam ut conciliet dicenti iudicum animos, moresque ei adscribat a fraude et dolo alienos.

Vidit hoc unus in paucis Lysias. Et ut commendaret dicentes, subtili admodum et acuto invento consecutus est. Ornatum verborum et pompam sententiarum, quae adversis frontibus candori et sinceritati opposita sunt, non tantum sedulo vitavit, sed quum perspiceret verba quae unus e populo proferre posset, facilem invenire assensum, quoniam studio et meditationi, sine quibus fraus nulla esse possit, contraria sint, stupido homini, at bono, si quaeratur de eo quod factum sit, facilius credi quam exercitato et versuto, ita finxit dicentes sinceros, simplicesque et apertos, ut subinepti saepius sint. Quae proferuntur partim sunt ita trita et vulgaria, ut iis non opus fuisse paene dixeris. Ast illa simplicitas tantum abest, ut pignus sit veritatis, ut contra comparata sit ad irretiendos auditores, qui, dum tantum certe concedunt, ut homini ridiculo fortasse, sed simplici, veri studium adscribant, ad captiosa parum attendunt. Quemadmodum Antonius semper imparatus ad dicendum accedere videbatur, sed ita erat paratus, ut iudices illo dicente nonnumquam viderentur non satis parati ad cavendum fuisse (Cic. Brut. § 139), sic Lysiacae personae (licebit enim hoc vocabulo uti) ita sunt simplices, ut tamen clam se in iudicum approbationem insinuent et assensum quasi furentur. Neque enim quaerebat ille admirationem, sed tantum causa ut probaretur.

Ea autem simplicitas et animi candor studio a Lysia quaesita sunt, non sponte ex ipsius ingenio fluxerunt; neque enim semper personae eius sunt simplices (εὐήθεις) et astuta demonstratio non deest nec malitiosa legum interpretatio. Sed etiamsi arte hanc speciem suis hominibus conciliavit,

artem tamen, ut qui maxime, occultavit. De simplicitate Lysiaca possis praedicare quod de eius dispositione dicitur (Dion. c. 8) πεποίηται αὐτῷ τοῦτο τὸ ἀποίητον, καὶ ἐν αὐτῷ τῷ μὴ δοκεῖν δεινῶς κατεσκευάσθαι τὸ δεινὸν ἔχει.

Dionysius τὴν ἠθοποιΐαν Lysiae laudans dubium est, utrum suos mores singulis adscriptos velit, an omnibus probi omnino viri ingenium tributum (cf. Hermogenes de Ideis II. p. 304. Walz: ἦθος τοίνυν ἐν λόγῳ ποιεῖ ἐπιείκεια καὶ ἀφέλεια, κ. τ. ἑ.). Posterius fere crediderim, quod subiungit tanquam novam et diversam virtutem (c. 9.), singularum aetatum, et studiorum orationes ab eo distinctas fuisse. Sed hic rursus nimis ad laudem propensus esse videtur. Namque Lysias recto usus iudicio, eatenus quidem distinxit inter se personas, ut non omnibus eum candorem et simplicitatem (εὐήθειαν καὶ ἀφέλειαν) adscriberet, sed tamen aetates et vitae genera oratione non distinxit; et illam ipsam simplicitatem sic subinde exaggeravit, ut affectata auditoribus videretur necesse esset. Non video, quid magnopere intersit inter claudi senis sermonem, cui vicesimam quartam, et agricolae (ruri habitat, cf. § 18: τοὺς γείτονας) cui septimam orationem scripsit, nec inter militem (orat. 16) et Aristophanis affinem (or. 19). Non provocabo ad Plauti Militem, ut qui sit sermo militis gloriabundi ostendam, sed potius ad verba Iphicratis, in oratione, qua se non indignum honore ostendit sibi semel designato. Eam orationem quidam male Lysiae adscribebant. Εἰ, inquit, ἑπτὰ ὑμῖν ἦσαν στρατηγοὶ οἷος ἐγώ, ἀοίκητος ἂν ἦν ἡ Λακεδαίμων (Aristides, or. 49, p. 518 Ddf. frgm. XVIII. 5 Saupp.). Ὑμεῖς μὲν οἴεσθ' ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, παρ' ὑμῶν ταῦτά μοι (τὰ) γράμματα καὶ τὴν στήλην εἶναί τι σεμνόν, ἐμοὶ δὲ στήλη οὐρανομήκης ἕστηκεν ἐν τῇ Πελοποννήσῳ μαρτυροῦσα τὴν ἀρετήν. (Ib.) Τὸ μὲν ἐμὸν ἀπ' ἐμοῦ γένος ἄρχεται, τὸ δὲ σὸν ἐν σοὶ παύεται (Plut. Apophth. p. 187. B. frgm. XVIII. 8). Compara cum his lenia illa verba militis apud Lysiam et intelleges quantum absint Lysiaca ab ostentatione et fastu militari. „Navita de ventis, de bobus narrat arator;" sed is qui

orationem de trunco oleae exciso pronunciavit (or. 7) nullum habet verbum ex arte sua petitum, nisi forte dubium illud πυρκαϊά § 24. Acuti sane erant Athenienses ad iocos et facetias animadvertendas, sed tamen nos non ita hebetes et obtusos in hoc genere existimo, quin multo plura iocularia debuisse dici in oratione pro Claudo (24) statuere audeam, si Lysias senem scurrilem ob oculos ponere voluisset, et omnino iocum scurrilem parum decere eloquentiam forensem. Sed hoc habent hae orationes inter se et cum ea, quae est de bonis Aristophanis (19) commune, quod qui dicunt admodum ingenui sunt et simplices, ut paene fatui et bardi videantur. Oratione septima agricola speciem prudentiae aversatur § 12: ὅσοι με φάσκοιεν δεινὸν εἶναι καὶ οὐδὲν ἂν εἰκῇ καὶ ἀλογίστως ποιῆσαι, ἠγανάκτουν ἄν. Paene stultum videatur quod dicit serio, tanquam affirmatione indigeat, ea quae antea non exstitissent, post excidi non potuisse (§ 11). In Simonem verba faciens (3 § 36) affirmat, fugere eos, in quos impetus fiat, insequi eos, qui iniuriam meditentur. Rem minime dubiam. Sed tacitus pro concesso sumit, se fugisse, non petivisse, quod dubium omnino erat; contra efficit, ut in re minime dubia cardo rei versari videatur, auditorum animos ab eo, quod sibi officiebat, abducens. Oratione 16 Mantitheus se excusat, quod adolescens audeat dicere, continentem se describit in vita et innocentem, ut abhorreat ab alea et vino, unde mali rumores de ipso ab aequalibus invidis spargantur (§ 11 et 20). Aristophanis affinis, qui oratione 19 verba facit, triginta annos natus (§ 55), ut se iudicibus commendet, numquam se patri oblocutum esse dicit, numquam in iudicio neque in senatu se fuisse; fando se audivisse, calumniam rem esse omnium turpissimam (§ 5); idem a patre comperit, saepe in aestimandis bonis civium erravisse Athenienses (45); idem aliorum auctoritate credit, optimum quemque ad veniam paratissimum esse (53). Manifesto id studet ea specie orator, ut iniuriae potius obnoxius quam ad fraudem proclivis videatur is, qui se defendit. Sed quae dicit

mihi quidem nimia et paene insipida videntur et eiusmodi, ut vix Atheniensibus imponere potuerint.

Simile est, quod saepe qui dicunt de adversariorum impudentia queruntur, qui *soli omnibus* persuadere conentur (cf. ad 20. 10 et ad or. 24 et 30. 32), quasi vero non intellegant, inter eos, qui taceant, multos esse posse qui adversario assentiantur, aut sic ipsis constet de innocentia, ut sanus homo ne *possit* quidem aliter iudicare, quam ipsi. In oratione tertia (in Simonem) optat reus, ut accusatori idem quod sibi placeat, et velit vera testari (§ 21). Vide callidum veteratorem, qui ab omnibus concedi postulet, ut ipse nullum possit mendacium committere. Simile quid est in Theomnestea (10) § 15. Qui vicesimam scripsit orationem ex imitatione Lysiae (nam oratio mihi non Lysiaca videtur) eo pervenit, ut ad senis innocentiam defendendam diceret, non *quinque* diebus inter quadringentos senem fuisse, quoniam per *septuaginta* annos non deliquisset (§ 10). Oratione 31 orator, Philo, inquit, vos *omnes* relicta urbe deseruit; indignissimum fuerit, si vos hunc *unum* non improbaretis (§ 31).

Apparet ex his, non tam studuisse Lysiam orationem variare pro diversis dicentium moribus, quam innocentiae omnino speciem dicentibus conciliare ex imperitia rei iudiciariae et nativa quadam simplicitate. Vere Cicero Orat. 6. 20: „in eodemque genere (tenui) alii callidi, sed impoliti et *consulto rudium similes et imperitorum.*" Cf. Quinctil. III. 8. 51: „Lysias optime videtur in iis, quae scribebat indoctis, „servasse veritatis fidem." IX. 4. 17: (Lysias) „scribebat „aliis, non ipse dicebat, ut oportuerit esse illa rudibus et „incompositis similia; quod ipsum compositio est."

## *De Tenuitate* (ἰσχνότητι).

Sunt inter eos, quibus Lysias orationes scripsit, quos isti mores parum decuissent. In oratione κατ' Ἐρατοσθένους, in Theomnestea priore, in illa quae inscribitur δήμου καταλύ-

σεως ἀπολογία (25) non sunt modesti et submissi sensus, sed insurgit oratio et grandior est. Tamen ubique apparet illa *tenuitas*, cuius praestantissimum exemplar Lysias a veteribus fere iudicatus est. Dionysius de Dem. 2. λέξιν appellat λιτὴν καὶ ἀφελῆ, oppositam illam Thucydidis gravitati. Trypho de tropis p. 750: Χαρακτῆρες ῥητορικοὶ τρεῖς, αὐστηρός, μέσος, ἰσχνός· καὶ τὸν μὲν αὐστηρὸν (alibi ἁδρόν, μεγαλοπρεπῆ) ὁ Θουκυδίδης ἐπετήδευσε χαρακτῆρα — τὸν δ' ἰσχνὸν Αἰσχίνης, Ἰσοκράτης, Λυσίας, Ἀνδοκίδης, Ἰσαῖος. Fusius rem praeter alios exponit Cicero Orat. 6. 20: „tria sunt omnino genera „dicendi, quibus in singulis quidam floruerunt: peraeque „autem (id quod volumus) perpauci in omnibus. Nam et „grandiloqui ut ita dicam fuerunt (*uberem* characterem ap„pellat Gellius N. A. VII. 14, *gravem* Auctor ad Herenn. „IV. 8. 11.) — et contra tenues, acuti, omnia docentes et „dilucidiora non ampliora facientes, subtili quadam et pressa „oratione limati; in eodemque genere alii callidi, sed im„politi et consulto rudium similes et imperitorum; alii in „eadem ieiunitate concinniores, id est faceti, florentes etiam „et leviter ornati. Est autem quidam interiectus inter hos „medius et quasi temperatus," rell. Cum Cicerone Quinctilianus XII. 10. 58 tripertitam sequitur divisionem. Sed alii technici aliter. Demetrius de elocut. c. 36: εἰσὶ δὲ τέσσαρες οἱ ἁπλοῖ χαρακτῆρες, ἰσχνός, μεγαλοπρεπής, γλαφυρός, δεινός. Alii, eodem auctore, duo distinguebant, ut τὸ γλαφυρόν et τὸ ἰσχνόν unum, τὸ μεγαλοπρεπές et τὸ δεινόν alterum efficerent (cf. Cic. Brut. 55). Alii rursus addebant τὸν γραφικὸν καὶ τὸν ἀνθηρὸν χαρακτῆρα, veluti Hipparchus apud Syrianum ad Hermog. de Ideis apud Spengel. art. Scriptt. p. 76. Ex quibus generibus posterius τὸ ἀνθηρόν Cicero ad tenue (*florentes*), Quinctilianus (ll. ll.) ad medium referre videntur. Sed in tripertita illa divisione, si quis reputet, quam immensum intervallum sit inter Thucydidem et Lysiam, fatebitur medium illud genus parum esse definitum et admodum late patere. Atque omnino totum illud institutum dividendi

scriptores pro orationis *figuris* (ut cum Auctore ad Herennium loquar) in diversas quasdam *αἱρέσεις* non nimis commendabile; nam neque is, qui tenuis et subtilis semper est, neque is, qui grandis et elatus semper, boni oratoris nomen meretur; itaque multos superfuturos esse probabile, quos quo referas, dubius haerebis. Id autem incommodum etsi veteres non latebat, tamen plus valuit mos traditus. Recte Cicero l. l. c. 30: „is erit eloquens, qui poterit parva „summisse, modica temperate, magna graviter dicere." Cf. de Opt. Gen. Orat. c. 1. Syrianus apud Spengel. l. l. p. 197, sq. Quinctil. l. l. § 66: „Sed neque his tribus quasi formis in„clusa eloquentia est. Nam ut inter gracile validumque „tertium aliquid constitutum est, ita horum intervalla sunt. — „Ac sic prope innumerabiles species reperiuntur." Quod invaluit divisionis huius mos, non potest aliter explicari, quam ex auctoritate inventoris. Hic autem non alius est quam Theophrastus. Apud Aristotelem enim non invenitur quidquam quod huc faciat, nec in Rhetorica ad Alexandrum. Sed apud illum, qui ab hoc tempore proximus fuit, Theophrastum medii characteris inventor dicebatur Thrasymachus. Dion. de Dem. 3. *Τρίτη λέξις* (vulgo *λέξεως*) *ἦν ἡ μικτή τε καὶ σύνθετος ἐκ τούτων τῶν δυεῖν· ἣν ὁ μὲν πρῶτος ἁρμοσάμενος καὶ καταστήσας εἰς τὸν νῦν ὑπάρχοντα κόσμον εἴτε Θρασύμαχος ὁ Χαλκηδόνιος ἦν, ὡς οἴεται Θεόφραστος, εἴτ' ἄλλος τις, οὐκ ἔχω λέγειν.* Sumta haec sunt ex libro *περὶ λέξεως*, cuius fragmenta apud Dionysium et Demetrium inveniuntur. Cf. Westermann, Gesch. der Beredsamkeit, I. p. 171. n. 8. Peripateticum philosophum decebat hanc notationem non solum ad oratores, sed etiam ad reliquos scriptores atque poetas adhibere. Cf. Dem. de eloc. c. 16. Itaque postea quoque factum videmus.

Tenuitati, quae et ipsa late patet, quum adscribatur logographis, dialogorum Socraticorum scriptoribus (excepto Platone) et paene omnibus oratoribus in iudiciali et deliberativo genere (Dion. Dem. 2), propria est *gracilitas* et *siccitas*, i. e.

ornatus defectus; simul *subtilitas* sive acuta demonstratio; denique *brevitas*. Tenuis orator parcus est verbis, et inornatus, sed idem sanus ac sobrius, subtilis, tersus, elegans, cavebit a ieiunitate. Quod si a potiori, ut aiunt, res iudicanda est, Lysias ad hoc genus optime referetur, modo ne tenuitate excludi vires in dicendo putes. Recte enim iudicavit Cicero in Bruto c. 31: „in Lysia saepe sunt etiam „lacerti sic ut fieri possit nihil valentius." Veruntamen quod roboris inest in hoc genere eloquentiae, non proficiscitur ex tractatione sed ex ipso argumento; non sectatur tenuis orator graves ponderosasque sententias, non animos potenter commovebit miseratione et perturbatione; sed quemadmodum alii grandibus verbis imponere solent subinde et aciem auditorum praestringere, sic ille per vulgaria verba ad animos auditorum arrepit; persuadet non incendit. Flumine verborum abripit Demosthenes „monte decurrens velut amnis;" Lysias leniter allabitur, placidi et quieti rivuli instar, qui raro fluctus movet. Sanitatem et sobrietatem Atticam in utroque agnoscas, sed vehementior est Demosthenes, quietior Lysias. Et quoniam argumenta, quae hic tractabat, erant pleraque levia, et apte, id est de tenuibus tenuiter dicere solebat, sensim eius oratio illum colorem accepit, ut ad simplicitatem, nimiam subinde, in quovis argumento magis proclivis esset quam ad vehementiam et impetum dicendi. „Quia et privatas ille plerasque, et eas ipsas aliis, et par„varum rerum causulas scripsit, videtur esse ieiunior, cum „se ipse consulto ad minutarum causarum genera limaverit" (Cic. de opt. gen. or. § 9).

Neque obliviscendum est quantus fuerit numerus orationum Lysiacarum; veteres amplius ducentas germanas iudicabant; sed praeterea iam olim aliquot interiisse satis credibile. Ne si argumenta quidem graviora fuissent, in omnibus ornatus et vehementes animi motus exspectari potuissent; quanto minus potuit, quum causae ad eum delatae pleraeque leves essent (*causulas* appellat Cicero). Etiamsi non iudicio illam

sobrietatem secutus esset, tamen reapse fieri non potuit, quin in apta istarum tractatione mos in naturam verteret, eoque remissus esset subinde et solutus, ubi gravis et elatus esse potuisset.

## *De Narratione.*

Non exigua laus est huius oratoris, quod dubia quae erant in causa sic interpretatus est, ut plerumque si solum legas oratorem, nec alia conferas testimonia de rebus ab eo traditis, fraudis et erroris ne suspicio quidem oriatur, quodque rem de qua agitur, evidenter narrat, ut oculis cernere eam tibi videaris. In orationibus, quae aetatem tulerunt, nulla est narratio, quin omnes habeat numeros veritatis. Inspice primam (de caede Eratosth.) § 5—27, tertiam (in Simonem) § 5—19, duodecimam (in Eratosthenem) § 4—20, tertiam decimam (in Agoratum) § 5—42. In his nihil detractum volo de singulari laude, qua Dionysius (c. 18) Lysiam celebrat. Praeclare idem (de Isaeo, 16): *τοῦ Λυσίου μὲν οὖν τις ἀναγιγνώσκων τὰς διηγήσεις, οὐδὲν ἂν ὑπολάβοι κατὰ τέχνην ἢ πονηρίαν, ἀλλ᾽ ὡς ἡ φύσις καὶ ἡ ἀλήθεια φέρει, αὐτὸ τοῦτ᾽ ἀγνοῶν, ὅτι τῆς τέχνης τὸ μιμήσασθαι τὴν φύσιν αὐτὴν* (vulgo *αὐτῆς*) *μέγιστον ἔργον ἐστίν.* Nemo fortasse magis consecutus est ut in arte omnis tamen suspicio artis abesset, quam Lysias. Itaque statui non debet, evidentiam illam narrationum sponte ex veritate rei narratae efflorescere. Imo sinceritas quae videtur ab astutia et calliditate non aliena est. Consulto enim a vero saepius recedit, et causae servit. Si adversariorum orationes conferre possemus, clarius appareret, sed ne nunc quidem argumentis destituti sumus. Nicomachus si tantum effecisset ad damnandum Cleophontem, quantum in oratione tricesima Lysias, tanquam rem minime dubiam, refert, non tacuisset de eo ipse in oratione in Agoratum. Vid. 30. 11, sqq. coll. 13. 2. Nicomachea tota et Agoratea documento sunt, mirum in modum oratorem, ut culpam reo-

rum augeret, res exaggerasse. Si quis ea aetate, quae historiae luce satis illustrata est, tantum Athenis valuisset, quantum Nicomachus, ut legum tabulas domi apud se retineret, et ne magistratus quidem eas manibus eius extorquere potuissent; si Agoratus ante imperium triginta virorum delatione sua effecisset, ut strategi et taxiarchi interficerentur, quomodo tandem fieri potuisset, ut horum hominum nulla fere mentio apud historicos exstaret? Secundum Lysiam Agoratus, de medio remotis omnibus (nullum plane excipit) strategis et taxiarchis, effecerat, ut Lysander Athenarum portus occuparet, muri diruerentur, triginta viri instituerentur. Sed verissime observavit G. Grote (Hist. of Greece, VIII. p. 235, n. 2. ed. Americ.) inter reditum Theramenis et triginta viros institutos delationi isti locum non fuisse. Itaque ut viri culpam augeat, delationem adscribit tempori, quo facta non est. Et ne reliqua quidem vera esse spoponderim. Quis enim credat, omnes duces ab Agorato et Theocrito (13.22) accusatos et morte damnatos esse? Tale quid Diodorus et Xenophon, etiamsi summatim tradant eius temporis historiam, non tacuissent. Eximius ille historicus, ad quem modo provocabam, in reliquis, quantum eius fieri potuit, Lysiae vestigia secutus, tamen hoc absurdum esse sensisse videtur („several of the democratical generals and taxiarchs;" at Lysias § 30: *τῶν στρατηγῶν καὶ τῶν ταξιάρχων*). Similiter in tricesima § 3 Nicomachum, consulto ambiguis verbis usus, oblique eiusdem calamitatis, atque Agoratum, auctorem esse insimulat. Sed de Nicomachea, ex qua alia quoque, quae huc faciant, colligi possunt, infra fusius dicam. Apparebit, quaedam ita relata esse, ut exaggerationis nomen nimis lene sit. In oratione vicesima quinta (§ 25) post quadringentos plurimum valuisse, seque ex publica calamitate ditasse dicit Epigenem, Demophontem, Clisthenem, obscuros homines et vix aliunde notos; probabilis est coniectura Rauchensteini, hos accusatores fuisse in causa, in qua dicta sit illa oratio; sed apparet oratorem hos malitiose nimis noxios proponere. Cal-

lide in oratione κατ' Ἐργοκλέους (28) § 8 suspicionem movet, Thrasybulum, ut iudicio se substraheret, mortem sibi ipsum intulisse. Quod si in his rebus, quae ex historia redargui possunt, falsa deprehenditur tradidisse, quid existimabimus oratorem fecisse in privata vita reorum enarranda, quae multo magis latuerit? Sed nobis tanto intervallo ab istis temporibus separatis difficilius est in hac re verum perspicere. Tamen hic quoque vestigia quaedam apparent rationis, quam secutus sit. Quod Theomnesti accusator se dicit tredecim annos natum fuisse, quum triginta eiicerentur, eo referendum puto (cf. ad 10. 31). Omnino vere dixit Dionysius de Lysia 18: ὅπερ Ὅμηρος, ἐπαινῶν τὸν Ὀδυσσέα, ὡς πιθανὸν εἰπεῖν καὶ πλάσασθαι τὰ μὴ γενόμενα, εἴρηκε, τοῦτό μοι δοκεῖ κἂν ἐπὶ Λυσίου τις εἰπεῖν·

Ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα.

*De Argumentatione.*

Non exspectari potest ab ullo oratore, ut quae afferat argumenta lectoribus probentur omnia; sunt in omni causa dubia, ad quae removenda auditoribus in breve tempus imponi potest, etsi argumenta diligentius explorata lectoribus non satisfacerent. Et ne a tenui quidem genere calliditas demonstrandi abest, modo ne ostendat et prae se ferat orator artificium et versutum animum, sed videantur quae affert facile se uni ex multis offerre posse. Non semper successit Lysiae, ut huic postulato satisfaceret.

Iustae atque nervosae demonstrationis exempla hic cumulare nihil attinet; tantum ne videar menda sectari velle, provocare liceat ad orationem in Eratosthenem (12) § 26 et 34, ad Theomnesteam priorem, (10) § 6, sqq., ad orationem de caede Eratosthenis (1) § 39—42, contra Simonem (3), § 28—33, δήμου καταλύσεως ἀπολογίαν (25), § 8, sqq. Sed diligentius attendendum est ad ea quae proprium quoddam demonstrandi artificium habent, ut appareat, quatenus

cum tenuitate, quam plerumque Lysias consectatur, conveniant. Subinde orator ex coniectura rationem concludit. Ita ἀδύνατος ille, cui scripta est oratio 24, § 9, non ego sum, inquit, dives, nam adversarius nollet mecum bona permutare. Sed voluntatis accusatoris nullum erat documentum. Nec gravius est quod in Nicomachea legitur § 8. Si, inquit, causa privata ageretur, non integrum se e iudicio abiturum Nicomachus crederet; nunc aegre ferendum, quod in causa publica illaesum se abiturum sperat. Haec quamquam prudentibus et intellegentibus non probarentur, tamen, in populo quum dicuntur, assensum saepe ferunt, et apprime cum hominis parum in causis versati simplicitate conveniunt. Alia sunt callide inventa, sed specie quidem nullum laborem nec molestiam habent, ut, quamvis levia ad demonstrandum, tamen animis auditorum facile se insinuent. Admodum acute in Philocratea initio defectum accusatorum, qui reo favere videri debebat, interpretatur in detrimentum accusati, quem inde appareret pecunia publica se ditasse, qua accusatores corrumperet. Verba quibus orator in Philonem (31) § 4 imperitiam dicendi excusat, demonstrant diligentius considerata, vel maxime sollertiam et versutum animum. Si in parte, inquit, accusationis inferior sim, credite fieri propter immensum numerum scelerum commissorum; si quid bene exposuero, non meae peritiae adscribere poteritis, sed imputate huius pravitati. Ita, qualecunque iudicium de oratione erit, secundum hunc oratorem noxius videri debet Philo. Sed sunt alia, in quibus calliditas et dolus minus bene occultantur, velut quum verborum ambiguitate causam probare studet. In oratione 27 (κατ' Ἐπικράτους) ludit in significatione vocabuli ἄκριτος, ut indicta causa malos oratores condemnandos esse demonstret; non enim, inquit, erunt ἄκριτοι, nam vos eos novistis et de notis iudicaretis (§ 8), quasi vero ulli ex auditoribus posset interpretatio formulae ἄκριτοι ἀπέθανον alia placere quam *indicta causa;* nemo non, opinor, ex iis hoc acutius quam verius dictum putavit. Si-

mile quid accidit in vocabulo δημόσιος, cf. ad or. 30. Per haec ex ambiguitate verborum petita argumenta obscure alibi quoque ratiocinatur, vitium, opinor, in hac simplicitate magnopere cavendum. Sic in oratione κατ' Ἀγοράτου (13) demonstrandum erat πάσῃ τέχνῃ καὶ μηχανῇ Agoratum ἐπ' αὐτοφώρῳ prehensum esse, quod ni fieret, iste absolvebatur. Sed hoc ut efficeret, non poterat non vim verbo facere et subdolis et obscuris uti rationibus (§ 86). Has auditores aut non intellecturi erant aut non probaturi. Subinde etiam longe repetit quae commendare reum, aut culpam eius augere possent. Ita in oratione κατ' Ἐρατοσθένους § 63 Themistocles, in undevicesima (de bonis Aristophanis) § 24 Timotheus, in tricesima (Nicomachea) § 28 Pericles et Themistocles satis contorte causae immiscentur. Putide atque operose in oratione de caede Eratosthenis legem minus sibi faventem interpretando subvertere conatur. In Agoratea § 89, sq. hoc agit, ut lex de ἀμνηστίᾳ nihil ad Agoratum pertinere videatur; iure iurando, inquit, se obstrinxerunt οἱ ἐν ἄστει erga Piraeenses; sed ego in Piraeo eram et reliqui accusatores et Agoratus ipse; quare nullo equidem pacto constrictus sum. Ecquis haec serio probaturus erat tum Atheniensis? Ac vide etiam quam contorte atque obscure in prooemio ad duodecimam dicat (§ 2). Tacent fere de his recentiores, opinor, quod in reliquis quoque oratoribus talia subinde inveniuntur, aut librariis plus imputabant, quam decebat. Verum his sub unum conspectum positis apparebit, opinor, non proinde horum ignaviam esse accusandam, si quid deesse videatur; apparebit etiam subtilitatem et tenuitatem Lysiacam a talibus minime abstinere. Quod si quaeris, quatenus possit probari hoc an excusari, non dubito equidem statuere, genus iudiciale non semper admittere illam tenuitatem sive simplicitatem; nisi vero causae omnes verae et in quibus a captiosis argumentis abstinere possit, ad causarum patronum deferuntur. Quod quum non fiat, admodum difficile est, eam candidi sincerique et aperti hominis personam, quam ab initio

susceperis, ad finem tueri. Non opus est et ne fieri quidem potest, ut candidus et simplex ubique *sit* orator tenuis; sed hoc postulatur, ut certe speciem illam candoris *prae se ferat;* ita auditoribus facile imponere potest. Id etsi plerumque Lysias fecit, tamen subinde in conatu deficit, ut dolus pelluceat; subinde etiam posuit argumenta, quae melius abfuissent, quoniam eius genus dicendi dedecebant. Inter ingenium oratoris, qui didicerat *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν*, et facile propterea ad contorta atque arguta invitus paene delabebatur, et formam orationis non erat naturalis concentus; oratio erat tenuis an attenuata; ipse simplicis et aperti hominis *personam* suscipiebat, atque ea specie extorquebat et quasi furabatur assensum. In quo conamine si subinde defecit, nihil sane mirum. Ceterum cf. Hermog. de Ideis II. p. 361: *τοῦ δ' αὖ μὴ δοκοῦντος δεινοῦ, ὄντος δ' ὡς ἀληθῶς τοιούτου παραδείγματα — τὰ τοῦ Λυσίου θαῤῥῶν εἴποι τις ἂν ὅτι πάντα.* Et paulo post p. 362: *τοῦτο δ' αὖ καὶ τῆς ὡς ὄντως δεινότητός ἐστι τὸ δοκεῖν ἀφελῆ τινα καὶ ἁπλοϊκὸν παρέχεσθαι λόγον, καὶ αὐτόν πως εἶναι δοκεῖν τοιοῦτον πᾶν τοὐναντίον ὄντα τε καὶ ποιοῦντα κατὰ τὸν λόγον.* Dion. de Dem. c. 2: *καὶ τὸ μὲν βιάσασθαι καὶ προςαναγκάσαι τι τῆς Θουκυδίδου λέξεως ἴδιον· τὸ δ' ἀπατῆσαι καὶ κλέψαι τὰ πράγματα τῆς Λυσίου.* Vid. ad or. 19.

### *De obscuritate in causae expositione.*

Longe accidit secus in causae expositione. Ea semper clara et perspicua esse debet; nulla oratio est bona, nisi indicetur, in quo cardo rei vertatur, quid demonstrandum sit. Attamen apud Lysiam in multis orationibus, quae sint capita causae divinandum potius datur, quam exponitur. Ita fit in iis orationibus, quae *περὶ δημοσίων* (vulgo *περὶ δημοσίων ἀδικημάτων*) inscriptae a vetere grammatico sunt (17—19), in quarta, octava, nona, vicesima tertia, vicesima septima et duabus sequentibus. Fateor quaedam nobis nunc obscura,

ex opportunitate, qua dicta fuerint, lucem accipere potuisse. Sed simplicitatis tenuitatisque laus hoc certe postulabat, ut breviter de re, quae in iure versaretur, exponeretur, aut sub finem certe intellegeretur, quid potissimum orator demonstrasset. Nolo praesumere, quae infra fusius demonstrabo, neque est haec res ὁδοῦ πάρεργον pertractanda; sed mihi ita videri solet, hominem consensu a veteribus celebratum propter perspicuitatem non potuisse tam turbate dicere atque in multis orationibus factum videmus. Inspice Dionysium de Lys. 4: τρίτην ἀρετὴν ἀποφαίνομαι περὶ τὸν ἄνδρα τὴν σαφήνειαν, οὐ μόνον τὴν ἐν τοῖς ὀνόμασιν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐν τοῖς πράγμασιν. — Τῆς μὲν Θουκυδίδου λέξεως καὶ Δημοσθένους, οἳ δεινότατοι πράγματ' ἐξειπεῖν ἐγένοντο, πολλὰ δυσείκαστ' ἐσθ' ἡμῖν καὶ ἀσαφῆ, καὶ δεόμενα ἐξηγητοῦ, ἡ δὲ Λυσίου λέξις ἅπασ' ἐστι φανερὰ καὶ σαφὴς καὶ τῷ πάνυ πόῤῥω δοκοῦντι πολιτικῶν ἀφεστάναι λόγων. His quis hodie subscriberet? Ambigitur in multis orationibus de qua γραφῇ agatur, quid deliquerit tandem reus, quae poena immineat, quando oratio dicta sit, num sit δευτερολογία, an τριτολογία, an epilogus. Meieri, Hoelscheri, Hamakeri nomina protulisse sufficiet, ut quantae molis fuerit appareat, verum causae statum efficere. Ac fieri non potest, ut Dionysius obscuras orationes Lysia indignas iudicarit, et in iudicio ferendo seposuerit, nam videmus eum vulgo aliam rationem secutum; nam quo loco (c. 12) dicit venustate et gratia conspicuum esse Lysiam, subiungit se eas orationes, quae hac virtute careant, suppositicias iudicare. De perspicuitate Lysiae sine ulla exceptione loquitur. Potius igitur in universum crediderim, Lysiae orationes difficili intellectu non laborasse; quod si quae sint obscurae, eam rem non imputandam esse oratori, sed aut nostrae ignorantiae, quod multa nos lateant quae auditoribus nota essent et sine incommodo possent reticeri, aut vicissitudinibus, quas nostrae orationes expertae sint.

Ex operibus veterum optima nobis servata esse, ut quae minus neglegerentur et per multa spargerentur exemplaria,

per se probabile est. Sed in Lysia secus accidisse videtur; quasdam sane orationes habemus ex optimis; sed multas ex iis, quas nunc legimus, permutatas velis cum melioribus, quae interierint. Ut Lysiae eloquentiae specimen aliquod proponat, Dionysius laudat et partim describit tres orationes (in Diogitonem, Olympicam, Περὶ τοῦ μὴ καταλῦσαι τὴν πάτριον πολιτείαν, c. 21—34). Sed hae, quas tanquam praestantissimas affert, nobis interierunt. Neque magis servatae, quas, ut Lysiae orationem ab Isaeo distinguat, de Isaeo c. 6, 8, 10 laudat. Athenaeus, quem non probabile est pessimas potissimum laudasse, si bene numeravi, duodecim orationum particulas affert; inter has nulla est, quae in nostris quoque MSS. inveniatur. Si sylloge nostra optimam quamque continuisset, saepius ab antiquioribus laudata fuisset. Identidem nostras orationes laudant grammatici, velut Harpocration, Suidas, Photius, Pollux alii id genus (reliquis magis notatu dignus auctor συναγ. λέξ. χρησίμ. ap. Bkk. Anecdd. p. 345. 15-21), raro rhetores (Demetrius, olim falso Phalereus dictus, c. 190). Ex bonis auctoribus unus Plutarchus orationem κατ' Ἐρατοσθένους significare videtur de Glor. Athen. p. 350. A: Λυσίας κατὰ τῶν τριάκοντα. Sic etiam in vita Lys. p. 836. B. Cf. Hoelscher in argumentis singularum orationum.

Quo consilio quave norma usus sit is qui nostram syllogen fecit, frustra divinamus; ne hoc quidem affirmari licet, delectum quendam in colligendo fuisse. Non habita est temporis ratio; nam quae omnium antiquissima est, pro Polystrato, vicesima numeratur. Neque argumentorum. Quod apparebit, si eas, quae quandam materiae similitudinem inter se habent, sub unum conspectum posuerimus.

| | |
|---|---|
| III. In Simonem.<br>IV. De vulnere praemeditato. | Περὶ τραύματος ἐκ προνοίας. |
| V. Pro Callia.<br>VI. In Andocidem.<br>VII. De trunco oleae sacrae. | Res sacrae. |

| | | |
|---|---|---|
| IX. | Pro milite. | Res militares. |
| X. | In Theomnestum I. | |
| XI. | In Theomnestum II. | |
| XII. | In Eratosthenem. | Historia triginta virorum. |
| XIII. | In Agoratum. | |
| XIV. | In Alcibiadem I. | Res militares. |
| XV. | In Alcibiadem II. | |
| XVI. | Pro Mantitheo. | |
| XVII. | De bonis Eratonis. | Περὶ δημοσίων χρημάτων. |
| XVIII. | De bonis Eucratis liberorum. | |
| XIX. | De bonis Aristophanis. | |

In reliquis nulla dispositionis vestigia deprehenduntur, nisi quod XXVIII et XXIX rursus, quemadmodum XVII—XIX ad δημόσια χρήματα pertinent. Vides igitur, hic illic quandam in subsequentibus orationibus inter se esse argumenti similitudinem, sed quae agant de militia et fisco duobus locis esse positas. Iustae dispositionis non est nisi tenuis umbra.

Neque integerrimas ex Lysiacis collector in ordinem recepit. Omisisset vicesimam primam, quae manifesto fragmentum est, et vicesimam septimam, quae est epilogus.

Neque igitur optimas tantum, neque integerrimas, neque argumenti similitudine nexam quandam classem collector recepit. Omnium consensu ne spurias quidem repudiavit. Nemo est enim editorum, quin unam et alteram suppositiciam iudicet. Recepit orationes, quae per se, sive quod deuterologiae sint, sive alia de causa (hoc enim nunc mitto) parum intelleguntur. Recepit denique quam ipse sciebat epitomen esse; nam hoc quoque in confesso est; Theomnesteam alteram prioris esse breviarium nemo sanus negabit. Nullum igitur delectum habuit homo ille; sed coniunxit quaecumque forte invenerat.

Exstabant olim Lysiae orationes non minus 425, ex quibus Dionysius et Caecilius germanas iudicabant 230. Cf.

Ps.-Plut. vit. dec. or. p. 836. A, Dionys. l. l. c. 12. Dimidia igitur pars spuria ab iis existimabatur. In quo iudicio ferendo num Dionysius in usum adhibuerit Callimachum (cuius iudicium de Lysiaca quadam oratione ex πίναξιν, opinor, depromtum affert de Isaeo c. 6) aut alios Alexandrinos Pergamenosve, non potest definiri. Partim quidem suo Marte egit (cf. de Lys. 12). Sed ut notum est, Lysiae simplicem elegantiam multos ad imitationem excitasse (cf. Cic. Brut. passim), sic satis probabile est, multos falsarios exstitisse, qui Lysiae suppositas orationes Pergamenis regibus aliisve venderent (cf. de Din. 1, Westermann l. l. p. 173, n. 20), vulgo autem homines quid distarent aera lupinis, non animadvertisse. Andocideae (6), nonae (ὑπὲρ τοῦ στρατιώτου), decimae (Theomnesteae I), quartae decimae (in Alcib. I), vicesimae (pro Polystrato), tricesimae (Nicomacheae), sex igitur orationibus ex superstitibus (neque laudat omnes) Harpocratio per vocabula εἰ γνήσιος obelum suum appinxit. Neque haec ideo a me proferuntur, quoniam Harpocrationis iudicium magni faciam, tantum ut constet, a veteribus dubitatum vulgo fuisse. Ex orationibus, quarum non nisi fragmenta supersunt, amplius triginta dubiae auctoritatis visae sunt. Cf. Sauppius in coll. fragm. vol. II. ed. Turic.

Itaque si ad probabilitatis calculos res revocanda est, quoniam ex orationibus, quae Lysiae ferebantur, dimidia pars spuria iudicabatur, dimidia quoque pars ex his, quae aetatem tulerunt, suspecta esse debet. Nulla igitur religio nos retinere debet, quominus, si quae in nostra collectione sint reliquis postponenda et oratore, qualem ex testimoniis veterum et ex melioribus orationibus cognovimus, indigna videantur, a Lysia abiudicemus. Iam vero si accidit, ut in multis proprietatem inveniamus, quae a tenuitate, cuius exemplar semper habitus est Lysias, toto coelo distet, quid, quaeso, magis probabile est, quam nobis illudi, et nubem nos pro Iunone amplecti? Lysiae orationes uni MS. pessimo et depravato debemus; scatet ille formis barbaris, omissionibus,

interpolationibus. Scio difficile esse dicere, quid humani ingenii acies in posterum in his emendandis efficere possit. Sed post multas multorum lucubrationes, in quibus prae reliquis Dobreum et Cobetum nominari par est, tantum constitui potest, in multis non sufficere posse criticen emendatricem, ut agnoscamus Lysiam eum, cuius laudes tota praedicet antiquitas. Si ampullas inveniremus et ineptias rhetoricas, possemus Platonem (in Phaedro) et Theophrastum (ap. Dion. l. l. c. 14) antestari, ut appareret quamvis improbandum, tamen hunc esse oratorem illum, quem illi describant. Nunc vero longe accidit secus.

Sed non tantum falsarii nos ludunt et librarii, sed etiam alii corruptelae generi hae orationes expositae fuerunt. Epitomen unam receptam fuisse (Theomnesteam alteram) vidimus; casu accidit, ut oratio, quae in epitomen redacta est, nobis servata sit. Sed fieri praeterea potest, ut breviaria Lysiacis addita sint, quorum πρωτότυπα interierint. Id probabile adeo est. In iisdem enim orationibus, quae locos habent bonos atque insignes, defectum animadvertimus cohaerentiae, ut omissis compagibus lateat, cur singula proferantur (cf. ad orat. 17 et 18), tum alia deprehenduntur epitomatori magis propria quam librario. Cf. ad or. 22 sub f. et ad 23 sub f. et ad 17 init.

Gravem igitur iacturam passi videmur; non tantum spuriae pro germanis sed etiam breviaria pro orationibus integris nobis relicta sunt. Habemus tamen, quod nobis gratulemur, quod ex tanto naufragio certe quaedam satis integrae reliquiae nobis servatae sunt; sed his quo magis delector, tanto magis offendor reliquarum naevis. Quod si statuendum est, nobis nunc non satis de virtute nonnullarum orationum, quae sint Lysiacae, iudicare licere, quoniam causae, ad quas pertinuerint partim nos lateant, desinamus certe has tanquam Atticae eloquentiae specimina admirari. Equidem iniuriam mihi facere viderer meritis oratoris, si has orationes egregiis monumentis eius ingenii aequipararem.

## *De Venustate et Brevitate.*

Praeter ea, de quibus adhuc sermo fuit, in iudicio Dionysi duo notatu digna videntur. Adscribit enim Lysiae summam venustatem (*χάριν*), et densam pressamque orationem (*στρογγύλην λέξιν*). Ipse ingenue fatetur, verbis non explicare se posse quam gratiam Lysiae intellegat. Sensu, inquit, percipitur, non verbis explicatur, quamquam facillime sentitur tam ab indocto quam ab artifice. Quod etsi verum est, tamen, quum hanc virtutem Lysiae uni adscribat, et ita ei propriam esse dicat, ut hac nota germanae orationes a spuriis dignosci possint, dolet, rhetorem sententiam suam non enucleatius exposuisse. Collatis tamen aliis locis eam accuratius exponere poterimus. Eam enim gratiam *καιρόν* appellat de Lys. 13 med., Dem. 13. Lysiam *τῆς λεπτότητος ἕνεκα καὶ τῆς χάριτος* cum Calamide et Callimacho artificibus comparat de Isocr. 3. De Calamide autem cf. Cic. Brut. § 70: „Calamidis (signa) dura „illa quidem, sed tamen molliora quam Canachi (antiquioris)". Priscae igitur simplicitatis et duritiae huic aliquid adhaerebat. Cf. Quinct. XII. 10. 7. Sed ipse Dionysius melius sententiam suam explicabit; de Isaeo c. 4 Lysiae orationem comparat cum antiquis picturis, quae paucis coloribus, nec artificiose permixtis compositae sint, sed lineamenta habeant diligenter descripta, iisque venustae sint (*εἰσὶ δή τινες ἀρχαῖαι γραφαί, χρώμασι μὲν εἰργασμέναι ἁπλῶς, καὶ οὐδεμίαν ἐν τοῖς μίγμασιν ἔχουσαι* [fort. *ἁπλοῖς* et *ἔχουσι*] *ποικιλίαν, ἀκριβεῖς δὲ ταῖς γραμμαῖς, καὶ πολὺ τὸ χάριεν ἐν ταύταις ἔχουσαι*). Gratiam in Lysia nativam dicit, non artificiosam Isocr. 3: *πέφυκε γὰρ ἡ Λυσίου λέξις ἔχειν τὸ χάριεν, ἡ δ' Ἰσοκράτους βούλεται.* In Dem. 13: *φυσικὴ εὐστομία καὶ χάρις* Lysiae adscribitur. Et in Isaeo c. 3 Isaeum artificiosiorem dicit, sed Lysiae oratio *ἀφελής τε καὶ ἠθικὴ μᾶλλόν ἐστι·*

σύγκειταί τε φυσικώτερον, καὶ ἐσχημάτισται ἁπλούστερον· ἡδονῇ τε καὶ χάριτι πολλῇ κέχρηται. Ib. c. 4 Lysiae adscribitur ἁπλότης καὶ χάρις. His igitur collatis apparet Lysiam, quod esset natura disertus et simplex, sobrius idem et diligens in elocutione, maximam χάριν consecutum videri. Simplex adeo erat, ut quendam colorem vetustatis prae se ferret. Verum in describenda mente Dionysi idem mihi accidit illud, de quo queritur, ut difficile sentiam esse, aptis in ea materia verbis uti. Tantum intellegitur, significari illam virtutem sine qua tenuitatis nulla laus sit. Unde Lysiam simul specimen praestantissimum τῆς λιτῆς καὶ ἀφελοῦς λέξεως proponere potuit et ea quasi nota illum describere (de Dem. 2), simul τὸ χαρακτηριστικώτατον τῆς δυνάμεως αὐτοῦ dicere τὴν κοσμοῦσάν τε καὶ ἀνθίζουσαν τὴν λέξιν αὐτοῦ χάριν (de Lys. 13).

Venustas illa quam Dionysius significat proficiscitur cum ex apto vocabulorum delectu, tum ex *brevitate*, qua nihil superfluum sit aut redundet, et tamen plane exprimatur sententia, ut facilis sit intellectu, et nihil deesse, nihil inutile esse *sentiant* auditores lectoresve. Brevitatem eius commemorat capite 5, ubi attendit potissimum ad *rerum* inutilium omissionem, cum qua nexa est quam proximo (6) celebrat, elocutionis brevitas concinna. Et in priore quidem capite (5) verbis συνέστραπται δ' εἴ τις καὶ ἄλλος καὶ πεπύκνωται τοῖς νοήμασι iam praeludit illi proprietati, quam proximo (6) diligentius describit; nam ea verba de rerum inutilium omissione, de qua paulo post agitur, non accipi possunt. Brevis est Lysias in rebus, quod digressionibus non utitur; non, ut hoc utar, quae sit consuetudo civitatis, qua re maiores aequalibus praestiterint, quid poetae moneant, similia, quae apud Demosthenem et alios inveniuntur, copiose refert; tum argumenta breviter proponit, adversarium paucis refutat; non occasionem captat suae peritiae ostentandae. Idem tamen, si causae conducat, nihil pensi habet, eandem sententiam in eadem oratione repetere. Cf. ad or. 25 sub f. Sed omnino sic dicit, ut qui attentos et dociles iudices exspectet, quibus non faces

eloquentiae sint admovendae, sed simplex expositio satisfaciat, ut assentiantur.

Ab hac rerum (ut ita dicam) brevitate Dionysius distinguit τὴν συστρέφουσαν τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως ἐκφέρουσαν λέξιν, quibus verbis ad periodi respicit proprietatem, qua sententiae in breve coactae nodo quasi connectuntur. Hoc autem quo iure Halicarnassensis Lysiae adscribat, viderit ipse. Et tamen de interpretatione eius sententiae dubitari non potest. Eandem enim significat virtutem, quam Demostheni summo iure vulgo adscribunt (Δημοσθένης δὲ καὶ ὑπερεβάλετο, l. l.). De Isocr. c. 2: στρογγύλη δ' οὐκ ἔστιν (ἡ Ἰσοκράτους λέξις) ὥσπερ ἐκείνη (ἡ Λυσίου) καὶ συγκεκροτημένη. Ib. c. 11 Lysiam praeponit Isocrati ἐν τῷ συστρέφειν τὰ ὀνόματα (νοήματα?) καὶ στρογγύλως ἐκφέρειν. Sane Lysias non habet dulcem atque decoctam ubertatem periodi Isocrateae, verum est quiddam inter Tanain socerumque Viselli. Non densam et astrictam verborum habet comprehensionem, propterea quod Isocrates prolixior est. Facile intellegimus, Theophrastum in eo a Dionysio dissentire potuisse, quum suo iure Thrasymachum (antiquiorem ceteroquin quam Lysias est) structurae periodorum contractae inventorem praedicaret; cf. de Lys. 6, de Dem. 3. Nec vero Lysias ubique brevis est. Vide hunc locum e Nicomachea § 21: ἐν δυοῖν μὲν ἐτοῖν πλείω ἤδη τοῦ δέοντος δώδεκα τάλαντ' ἀνήλωσε, παρ' ἕκαστον δὲ [τὸν] ἐνιαυτὸν ἐπεχείρησεν ἓξ ταλάντοις τὴν πόλιν ζημιῶσαι. Cf. etiam ad 13. 19 et 63, et ad 28. 16. Omnino quaecunque praestantia poterat invenire, ea satis liberaliter Lysiae Rhetor adscripsit.

Percurri iudicium Dionysi; neque enim de puritate linguae et sinceritate cramben recoctam apponere placet. Splendido illo virtutum praeconio factum est, ut suam ipsi sententiam de Lysiae meritis non pronunciarent editores et opinionem de praestantia susciperent, cui multae ex orationibus, quae hodieque exstant, parum respondent. Non tantum ex tradita quadam opinione rhetor Lysiae virtutes exaggeravit; sed eius laus partim etiam inde est explicanda, quod multo plures

novisset orationes Lysiae et in universum meliores quam nos. Non maius discrimen est inter auctorem dialogi de Oratoribus et Tacitum, quam inter has quas legimus orationes et Eroticum in Platonis Phaedro, quem sunt qui Lysiae ipsius esse putent. Sed oratorem ante anarchiam, quum in Italia versatus et Athenis orationes iuridicas aliis non scriberet, sed sophistarum castra sequeretur, longe aliam eloquentiam coluisse, quam postea, per se probabile est et testatum invenimus a Theophrasto. Sed iuvenilium conaminum in nostra sylloge unum fortasse tantummodo exstat specimen (or. 8), et Dionysius ex ea aetate nihil notatu dignum putavit, si modo aliquid legerit; memorasset procul dubio vitia illius antiquioris rationis. Quocirca de ea priore parte disputatio admodum incerto tibicine nititur. Nos quidem in praesentia illa disquisitione missa properamus ad orationes nobis servatas.

---

## II. ANNOTATA AD SINGULAS ORATIONES.

### I. ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΕΡΑΤΟΣΘΕΝΟΥΣ ΦΟΝΟΥ ΑΠΟΛΟΓΙΑ.

Perspicuitate et evidentia narrationis una in paucis haec oratio excellit; nec facile quis dubitet, quin germana sit. Pauca igitur sunt aut illustranda, aut defendenda, aut denique emendanda.

§ 9. *πρῶτον μὲν οὖν — οἰκίδιόν ἐστί μοι διπλοῦν, ἴσα ἔχον τὰ ἄνω τοῖς κάτω, κατὰ τὴν γυναικωνῖτιν καὶ κατὰ τὴν ἀνδρωνῖτιν.* Nisi postrema verba sensu cassa esse velis, statuendum est, tam virorum quam mulierum conclave binas habuisse contignationes; quum dicit *κατὰ τ. γ. καὶ κατὰ τ. ἀ.* significat in quaque parte fuisse *ὑπερῷον*. Solebat uxor in gynaeconitidis superiore contignatione pernoctare; nato vero

puero quum commodius esset visum, illam noctu et interdiu in inferiore esse, maritus ei partem inferiorem andronitidis concedebat, ut ipse totam teneret superiorem contignationem, inferiorem domus partem uxor. Ita interpretatus locus non pugnat cum aliis aedium privatarum descriptionibus. Vulgo sic locum explicant, ut ante mulieris partum vir inferiorem, mulier superiorem totas tenuerint; aliunde vero satis constat mulierum conclave fuisse in posticis aedium partibus, ad quas aditus per *μέταυλον θύραν* interclusus esset. Haec ianua infra § 17 commemoratur, ubi Eratosthenes per *μέταυλον* ex gynaeconitidis inferiore parte, et hinc per *αὔλειον* foras egreditur. Fores crepantes audit Euphiletus de cubiculo (*δωματίῳ*) superiori, quo ab uxore per iocum scilicet inclusus fuerat, et in quo coenati erant (§ 11 coll. 22). Inde a viro uxor descendere iubetur ut mammam puero praebeat. Apparet autem e verbis: *πολλάκις ἡ γυνὴ ἀπῄει κάτω καθευδήσουσα ὡς τὸ παιδίον* post prima puerperii tempora bonam scilicet uxorem saepe in superiorem partem cum coniuge cubitum ivisse, quod minime pugnat cum illis *ἵνα δὲ μὴ — κινδυνεύῃ κατὰ τῆς κλίμακος καταβαίνουσα, ἐγὼ μὲν ἄνω διῃτώμην, αἱ δὲ γυναῖκες κάτω*, quae manifesto intellegenda sunt de periculo quod recenti partu incurrisset femina. — In verbis a me notatis solus, quantum scio, haesit Augerius, coniiciens *ἄνω τὴν γυν. καὶ κάτω τ. ἀνδρωνῖτιν.*

§ 16. Speciem habet quod statuit Halbertsma in Mnemosyne XI, p. 207, eiicienda esse verba *ἡ ἄνθρωπος*, ut legatur: *προςελθοῦσ' οὖν μοι, ἐγγὺς τῆς οἰκίας τῆς ἐμῆς ἐπιτηροῦσα, Εὐφίλητε, ἔφη κ. τ. ἑ.*; quod vero idem praesens *ἐπιτηροῦσα* improbat, satis opinor id defenditur § 8: *ἐπιτηρῶν γὰρ τὴν θεράπαιναν — καὶ λόγους προςφέρων ἀπώλεσεν αὐτήν.*

§ 21. Ancillam in forum seduxerat Euphiletus, eique impunitatem promiserat, si omnia vere indicasset; deinde illa dicto audiens est, tum Lysias: *ἐπειδὴ δὲ πάντα*, inquit, *εἴρητο αὐτῇ, εἶπον ἐγώ· „ὅπως τοίνυν ταῦτα μηδεὶς ἀνθρώπων πεύσεται· εἰ δὲ μή, οὐδέν σοι κύριον ἔσται τῶν πρὸς ἔμ' ὡμολο-*

γημένων. Flagitat sententia, ut scribatur πρὸς ἐμοῦ ὡμολογημένων, *nihil tibi ratum erit eorum quae promisi.* Xen. An. I. 9. 20: ὁμολογεῖται πρὸς πάντων κράτιστος γενέσθαι. Oec. 4, 2: ἀδοξοῦνται πρὸς τῶν πόλεων. Plat. Legg. IV. 712 E: ἀρχαιοτάτη πασῶν καὶ πρὸς πάντων ἀνθρώπων καὶ ἡμῶν αὐτῶν λεγομένη. Xen. Oec. 16: τὴν νεὸν — δεῖ εἶναι ὀπτὴν ὅτι μάλιστα πρὸς τοῦ ἡλίου. Constructio haec Ionibus et tragicis, Aeschylo potissimum frequentata, potuit subinde scriptoribus Atticis excidere. Non aptum esse, servam dici aliquid a domino *pepigisse*, aut de aliqua re inter servam et dominum *convenisse*, quisque facile sentiet.

§ 22. Εἰδὼς δ' ἐγὼ ὅτι τηνικαῦτα (ἡλίου ἤδη δεδυκότος) ἀφιγμένος οὐδὲν ἂν καταλήψοιτο οἴκοι τῶν ἐπιτηδείων. Ita MSS. Οὐδέν legendum esse non οὐδένα (Bekk.) persuadet H. Frohberger, Philol. XV. p. 340; nam familiares sub noctem sane domi erant. Sed non mihi probavit ἄν cum futuro optativi iungi posse. Ἄν cum optat. per se iam futuri notionem comprehendit, nec forma verbi futura quidquam opus est. Nec ratiocinatione hoc confici potest; saepe usus spernit, quae ratio non improbat. Bene actum erit, si usum, *de quo prius constare debet*, ratione defendere possimus. Si ratione tantum agendum esset, dicerem ἄν cum futuro optativi ne sub condicione quidem aliquid in futuro dubio maius proponere, sed tantum probabile. Verum in nullo paene exemplo consentiunt libri. Locos collegit Bäumlein, Untersuchungen über die Griechischen Modi, p. 296. Omissis illis, de quibus ipse dubitat, restant Xen. CP. VII. 3. 10, Lycurg. in Leocr. 15 et noster locus. Sed Lycurgi et Lysiae libris in tali dubitatione non multum tribuendum est. Apud Xen. non consentiunt codd.; pro τί ἂν ποιήσας σοι χαρίσοιτο (forma barbara, opinor) legendum cum Dindorfio χαρίσαιτο.

§ 24. ἀνεῳγμένης τῆς θύρας καὶ ὑπὸ τῆς ἀνθρώπου παρεσκευασμένης. Non intellego quid sibi velint praeparatae fores. Fort. καὶ τῆς ἀνθρώπου παρεσκευασμένης, *intenta.*

§ 29. Nullam mihi excusationem habere videtur usus con-

iunctivi in his: *καὶ ὅπως μὲν μὴ ἀποθάνῃ ἠντεβόλει*, quo loco simpliciter res facta commemoratur et summatim referuntur quae antea (§ 25) fusius descripta erant; scribe *ἀποθάνοι*.

§ 32. Secundum interpretationem legum a Lysia propositam minore poena afficiebatur qui per vim nuptam feminam stupraverat, quam qui persuasione ad illicitos amores viam quaesiverat; huic mors, illi mulcta poena erat; qui igitur alicuius libidinosae mulieris lenociniis se facilem praebuerat, gravius deliquisse videbatur, quam qui probae mulieri vim intentarat. Hoc ita ab aequitate recedit, ut credam oratorem errasse aut potius malitiose ius interpretatum esse. Nempe ut augeat et intendat crimen Eratosthenis, ostendere conatur, hoc legibus etiam gravius quam stuprum per vim commissum iudicari. Res vero sic se habebat. Mortis poena non publice constituta erat lege Dracontis (*τῷ νόμῳ ἐκ τῆς στήλης τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου* § 30), id tantum cavebatur, ne si maritus adulterum interfecisset, haec caedes illi damno esset. Huic legi nihil obrogabatur altera illa, quae erat *περὶ βίας*; nempe si quis adultero, qui vim adhibuisset, pepercisset, dabatur illi actio de vi in duplum. Sed orator, quo turpius Eratosthenis factum videatur, *τοὺς μοιχοὺς* et *τοὺς βιασαμένους* ita distinguit, ut diversas utrisque leges scriptas dicat, quo fiebat, ut si quis excusaret Eratosthenem quod vi usus non esset, leges opponeret, secundum quas propter id ipsum maiore poena dignus videretur. — Verba *ἐφ' αἷσπερ ἀποκτείνειν ἔξεστιν* ex lege *περὶ βίας* petita esse non possunt; neque tamen sine incommodo deleri; iis enim omissis (*ἀκούετε, ἄνδρες, ὅτι κελεύει, ἐάν τις ἄνθρωπον ἐλεύθερον ἢ παῖδα αἰσχύνῃ βίᾳ, διπλῆν τὴν βλαβὴν ὀφείλειν, ἐὰν δὲ γυναῖκα, ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐνέχεσθαι*) non satis causae est, cur feminae reliquis excipiantur; etenim si *γυναῖκα* omni careret attributo, melius iungeretur cum superioribus hoc modo: *ἐάν τις ἄνθρωπον ἐλεύθερον ἢ παῖδ' ἢ γυναῖκ' αἰσχ. β. δ. τ. βλ. ὀφ.* Potius illa *ἐφ' αἷσπερ ἀποκτ. ἔξεστιν* de suo addidit orator et hoc voluit: si quis feminas eas, cum quibus in adulterio deprehensi *se-*

*cundum alteram legem* impune interfici possent, nempe γαμετήν aut παλλακήν (cf. Dem. 23. 53) violasset, huic nihilo maiorem poenam fuisse praescriptam. Omnino obscurius argumentatur, et tota illa lex de vi nihil commune habet cum hac causa, nisi ut rhetorico artificio moechorum crimen, comparanda et elevanda culpa τῶν βιασαμένων, augeatur. Ceterum prior illa Dracontis lex a Solone confirmata fuit, ut apparet ex Plutarcho in vit. Sol. c. 23: μοιχὸν μὲν γὰρ ἀνελεῖν τῷ λαβόντι ἔδωκεν· ἐὰν δ' ἁρπάσῃ τις ἐλευθέραν γυναῖκα καὶ βιάσηται, ζημίαν ἑκατὸν δραχμὰς ἔταξε. Postrema verba ad aliam pertinere legem, quam quae a Lysia commemoratur, videntur. Frustra utramque in concentum redigere conantur Meyer et Schoemann, der Attische Process, p. 545. Pugnare inter se omnino videntur hae leges, ut propius vero esse credam quod suspicatur van Stegeren, de conditione civili feminarum Athen., p. 141, legem Solonis iam ante Lysiae tempora fuisse mutatam. De διπλῇ βλάβῃ cf. Dobree Advv. I. 194.

§ 36. Si me condemnaveritis, inquit, quod moechum interfecerim, moechorum impunitate confident fures, prehensique adulterii causa se penetrasse in alienam domum contendent, et nemo eos laedet. Πάντες γὰρ εἴσονται, ὅτι τοὺς μὲν νόμους τῆς μοιχείας χαίρειν ἐᾶν δεῖ, τὴν δὲ ψῆφον τὴν ὑμετέραν δεδιέναι· αὕτη γάρ ἐστι πάντων τῶν ἐν πόλει κυριωτάτη. Reiskius (nam plerique tacent): „Scient enim tum omnes, „leges de corruptelis matronarum latas flocci non faciendas, „sed vestram solummodo sententiam esse reformidandam, „quippe quae rerum in civitate sit arbitra omnium." Primum addidit *solummodo*; sed quaero praeterea, quomodo reformidanda esset, quum sententia iudicum lenissima esset nimisque ad absolvendum proclivis. Nimis lenes sunt iudices, qui illaesos abire patiantur moechos, et tamen eorum suffragia forent metuenda. Sed fac fieri potuisse, ut nihilo minus suffragia metuenda forent; oratorem tamen de eo tacere decebat; si semper severitas iudicum esset metuenda, minore

cum damno nunc leges neglegi poterant. An vero interpretandum: „metuendum erit laesis, quorsum suffragia vestra „evadant?" — Verba, opinor, non patiuntur. Fortasse exciderunt quaedam, et orator ita fere dixit: *οὐδεὶς αὐτῶν ἅψεται. Ἐμοῦ δ' ἐὰν ἀποψηφίσησθε, οὐδεμίαν πρόφασιν αὐτοῖς ἐνδώσετε. Πάντες γὰρ εἴσονται, ὅτι, κ. τ. ἑ.* „Si iure me interfecisse Eratosthenem iudicaveritis, perfugium iis praeripietis. Omnes enim scient, ad legem de adulteriis provocare sibi non licere, sed reformidandam esse vestri iudicii severitatem, quod semper in civitate plurimum valet."

§ 42. *τί γὰρ ᾔδη εἴ τι κἀκεῖνος εἶχε σιδήριον;* Ex constanti usu haec significare debent: „*cur* enim sciebam," rell.; requiritur: *unde ego sciebam.* Fort. pro *τί* leg. *πῶς* cuius compendium a *τι* (ΤΙ Π) parum differt. In sequentibus molestum est *καί*; alienum erat ab Euphileti consilio, auditores commonefacere se habuisse telum, cui potius id agendum erat, ut quam maxime imparatus ad caedem venisse videretur; et tamen ex illo *κἀκεῖνος* consequeretur, ut se diceret armatum ad Eratosthenem accessisse.

§ 43. *οὔτε συνῄδει (μοι) κακὸν οὐδὲν ὃ ἐγὼ δεδιὼς μή τις πύθηται ἐπεθύμουν αὐτὸν ἀπολέσαι.* Video omissionem particulae *ἄν* et hoc loco et supra § 38: *εἰ δ' ᾔδη πάντων διαπεπραγμένων ᾡτινιοῦν τρόπῳ ἐλάμβανον αὐτόν, σωφρονεῖν ἐμαυτὸν ἡγούμην* posse defendi. Poterat dubium esse, utrum propter conscientiam sceleris cuiusdam an aliam ob causam cuperet illum interficere; cupivisse quidem constabat. Talis vero interpretatio cum per se dubia est, tum lubrica in eo scriptore, cuius libri tam manifesto corrupti sunt, quum praesertim *ἄν* ante *αὐτόν* facile excidere potuerit. In altero loco haec excogitari potest explicatio: „si vero, quod feci, quavis ratione illum prehenderem," i. e. fere „quod autem quavis ratione prehendebam, iure me agere putabam." Sed haec ratio subvertitur verbis paulo ante lectis: *ἐγὼ δ', ὦ ἄνδρες, δίκαιον μὲν ἂν ποιεῖν ἡγούμην ᾡτινιοῦν τρόπῳ τὸν τὴν γυναῖκα τὴν ἐμὴν διαφθείραντα λαμβάνων*, ubi in eadem fere sententia

ἂν additur. Itaque utroque loco ἂν restituendum, § 38 post σωφρονεῖν. Quod § 43 sequitur: οὔτ' εἰ ταῦτα διεπραξάμην, ἤλπιζον χρήματα λήψεσθαι, emendandum διαπραξαίμην.

### III. ΠΡΟΣ ΣΙΜΩΝΑ.

Is, cui Lysias hanc orationem scripsit, insimulatur Simonem ad ipsius domum cum telo oppertus male mulcasse. Accusator est Simo ipse, qui quatuor annis post ad Areopagum rem defert et reum accusat τραύματος ἐκ προνοίας, cui maleficio exsilium cum bonorum publicatione imminebat. Defendit reus, nec eo loco, ubi Simo contenderet, pugnatum esse, nec se cum telo accessisse, nec vulneris praemeditati crimen, de quo ius dicat Areopagus, esse ullum, nisi consilium fuisse mortis inferendae appareat. Capita causae continentur sectionibus 11—20, coll. 27: φησὶ δ' ἐπὶ ταῖς αὐτοῦ θύραις ὑπ' ἐμοῦ δεινῶς διατεθῆναι τυπτόμενος. 28: λέγει δ' ὡς ἡμεῖς ἤλθομεν ἐπὶ τὴν οἰκίαν τὴν τουτουὶ ὄστρακον ἔχοντες. 42. οὐδεμίαν ἡγούμην πρόνοιαν εἶναι, ὅστις μὴ ἀποκτεῖναι βουλόμενος ἔτρωσεν. Reliqua narrationem continent eorum, quae ante obiectum scelus facta erant (§ 5—10), et refutationem adversarii contendentis se pecuniam olim ut frueretur Theodoto, huic erogasse (§ 21—26).

Rixa orta erat de Theodoto, puero meritorio, quem Plataeensem dicit orator (§ 5), sed qui reapse non meliore quam servili condicione fuit; nam torqueri eum potuisse orator dicit (§ 33). Itaque ipse Theodotus hoc nomen sibi arrogaverat (ut Pancleo orat. 23), aut, quod propius vero, orator, quo foedius scelus sit Simonis liberum hominem raptantis (§ 15), fingit Plataeensem esse; nec abhorret a vero, pecuniam, quam erogasset Simo, non adolescenti sed ei, qui nunc accusatur, appensam fuisse (§ 25 ἡμᾶς — ἀποστερῆσαι — ἀποδοῦναι). Sed pecunia semel accepta, reus, ut criminabatur Simo, eius fructu ipsum privaverat, adolescentem ab eo arcens; hic postea (eodem teste) argentum reddiderat.

De his omnibus pernegat reus, nec ad causae summam quidquam pertinent, nisi mortem sibi ab adversario fuisse intentatam dixisset Simo (§ 28 *ἠπείλουν αὐτῷ ἐγὼ ἀποκτενεῖν*), ut ne pecunia ab ipso erogata reddenda esset (§ 25: *πῶς εἰκὸς — ἡμᾶς τοιαῦτα ἐξαμαρτάνειν — ἀποστερῆσαι βουλομένους τὰς τριακοσίας δραχμάς*). Mitto nunc quaerere, quomodo accusationem detorserit (nam admodum fatuus accusator foret, qui talia obiectaret), sed primum constat defensionem § 25 hoc fundamento niti, tum ex ambiguitate qua de eo, qui pecuniam acceperit, eo loco dicit, probabiliter efficere nobis videmur, ipsum reum pecuniam accepisse, proinde iniuria adolescentem Plataeensem dici, fuisse servum. Posset sane pluralis l. l. de Theodoto et reo intellegi (cf. § 46, ubi *οὗτοι οἱ βίᾳ ἐκ τῆς ὁδοῦ κ. τ. ἑ.* pertinent ad Theodotum), sed apparet, quum reo, non Theodoto hoc crimen a Simone obiectum sit, Simonem contendisse ab eo acceptam.

§ 4: *Οὗτος δὲ βέλτιστος ... ὅστις κοσμιώτατα τὰς συμφορὰς φέρειν δύναται.* Quum dicat cupiditates omnibus hominibus communes esse, illum autem optimum, qui *τὰς συμφορὰς* modestissime ferat, apparet eo vocabulo non significari calamitates extrinsecus illatas sed voluptates animo humano inhaerentes et incommoda quae hinc nascantur. Habet hoc nescio quem colorem philosophum. Similiter apud Xenophontem CP. VI. 1. 37 Araspas illicitum amorem, cui indulserat significans *ὡς γάρ*, inquit, *ὁ θροῦς διῆλθε τῆς ἐμῆς συμφορᾶς*. Andoc. 2. 7: *τοιαύτη συμφορὰ τῶν φρενῶν* est mentis occaecatio sive error. Infra 39: *αἰσχυνόμενος δέ, ὅπερ ἤδη καὶ πρότερον εἶπον, τῇ συμφορᾷ.*

§ 7. *Οὐ πρότερον ἠθέλησεν ἀπελθεῖν, πρὶν αὐτόν, ἡγούμενοι δεινὰ ποιεῖν οἱ παραγενόμενοι καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ ἐλθόντες, ἐπὶ παῖδας κόρας καὶ ὀρφανὰς εἰσιόντα, ἐξήλασαν βίᾳ.* Theodotum amasium tam a Simone quam eo, qui causam dicit, expetitum quaerens Simo in domum oratoris irruperat; effractis foribus etiam in mulierum conclave penetraverat, unde tamen vi eiectus est; sed quaeritur a quibus. Mi-

rum, hoc factum esse ab iis, quos secum ipse adduxerit; poterant hi abducere eum et retrahere secum, si ebrius nimis turpia designaret, non quasi hostili animo pellere e domo (*ἐξήλασαν βίᾳ*), in quam ipsi quoque vi irruperant. Fecisse hoc credideris praeter ipsum hominem vicinos, qui tumultu nocturno excitati post Simonem domum intraverint (*οἱ μετ' αὐτὸν εἰςελθόντες*); sed hos simpliciter per verba *οἱ παραγενόμενοι* significatos fuisse, reliqua autem falsum librarii additamentum esse probabilius duco. Scilicet importunus interpres non intellegebat hoc loco et § 18 *οἱ παραγενόμενοι* non esse comites Simonis; sed hos significari ratus addidit illa *καὶ μετ' αὐτοῦ ἐλθόντες*.

§ 8. Domo evocat defensorem Simo, eumque statim ut prodiit verberat. Ἐπειδὴ δ' αὐτὸν (*τύπτοντα*) *ἠμυνάμην ἐνστάς*, *ἔβαλλέ με λίθοις*. Post Reiskium, qui Taylori emendationem *ἠμυνάμην*, *ἐκστάς* improbat, acquieverunt editores in vulgata lectione. A Tayloro iure dissentit Reiskius, sed vulgatae defensio, quam ipse suscipit, sine controversia improbanda est. Distinguens enim ante *ἐνστάς* ita interpretatur: „non „satis, inquit, habebat Simo me pugnis verberare. Etiam „*ἐνστάς*, urgens me atque fugientem persequens, saxis me „petebat." Sed ista *fugientem persequens* plane a loco aliena sunt, in quo diserte is qui causam nunc dicit, Simonem se a corpore suo arcuisse dicit (*ἀμύνασθαι*); is qui arcetur non insequitur. Quod sentiens Reiskius „potest *ἐνστάς*, inquit, „etiam ad reum referri [*ἠμυνάμην ἐνστάς*], ut haec existat „sententia: „„quia vero ego eum repellebam et ulciscebar „„instans et urgens verberibus, petiit me saxis."". Vides hominem, qui *urgeat* verberibus et e vestigio insequatur, ab eodem quem *urgeat* saxis petitum, quod absurdum. Verius Reiskius animadvertit Taylori coniecturam propterea non posse probari, quod *ἐκστῆναι* apud Atticos propria (locali) significatione usurpatum non possit absolute poni; addi enim solet genitivus *τῆς ὁδοῦ*, *ἐκ τοῦ μέσου*, alia. Nec utor Eurip. Iph. Taur. 1198: *Φεύγετ', ἐξίστασθε, μή τῳ προσπέσῃ μύσος τόδε*,

ubi ex apposito *Φεύγετε* etiam sine genitivo sententia satis est perspicua. Quid si litterae aliquot exciderunt, ut lectum olim fuerit *ἄποθεν στάς*? Excidissent sic *ἄποθ*; quo modo corruptio facilius intellegitur, quam si statuas *ἀποστάς* aut *ἀποδράς* olim lectum fuisse. Nam in Palatino, cui libro soli Lysiae orationes debemus, omissiones sunt admodum frequentes.

Nondum ex proeliis evadimus. Nam induci non possum ut Lysiam in hac oratione, in qua pleraque sunt tersa, elegantia, bene meditata, minus evidenter § 18 pugnam enarravisse putem, in qua summa rei versetur. Leguntur haec: *μάχης δὲ γενομένης, ὦ βουλή, καὶ τοῦ μειρακίου βάλλοντος αὐτοὺς καὶ περὶ τοῦ σώματος ἀμυνομένου καὶ τούτων ἡμᾶς βαλλόντων, ἔτι δὲ τυπτόντων αὐτὸν ὑπὸ τῆς μέθης καὶ ἐμοῦ ἀμυνομένου καὶ τῶν παραγενομένων ὡς ἀδικουμένοις ἡμῖν ἁπάντων ἐπικουρούντων, ἐν τούτῳ τῷ θορύβῳ συντριβόμεθα τὰς κεφαλὰς ἅπαντες.* Res agitur in publico; Simo cum sociis vi Theodotum capientes obviam fiunt defensori, qui hanc iniuriam non ferens prehendit adolescentem; tum illi, hoc de manibus misso, verberant aggredientem: *ἀφέμενοι δὲ τοῦ νεανίσκου ἔτυπτον ἐμέ.* Cum hoc pugnat quod loco de quo agimus legitur, ubi Theodotus, quem miserant Simo eiusque sodales, dicitur se defendere, quasi impetus in illum fiat: *καὶ περὶ τοῦ σώματος ἀμυνομένου.* Quae sequuntur *καὶ τούτων ἡμᾶς βαλλόντων* nihil novi continent post verba illa *ἔτυπτον ἐμέ*, nisi putes *βαλεῖν* de vulnere eminus illato esse intellegendum, quo res fieret etiam obscurior, nam reus manus conseruit. Narratio sic recte procederet: *ἀφέμενοι δὲ τοῦ νεανίσκου ἔτυπτον ἐμέ. Μάχης δὲ γενομένης, ὦ βουλή, καὶ τοῦ μειρακίου βάλλοντος αὐτοὺς* (is missus ab adversariis nunc eminus eos vulnerat, cf. § 28), *καὶ ἐμοῦ περὶ τοῦ σώματος ἀμυνομένου* (nimirum ipse arreptus erat), *καὶ τῶν παραγενομένων κ. τ. ἑ.* Reliqua aut nihil prodesse, aut impedire cursum narrationis contendo. Quaesita consulto obscuritate fucum auditoribus facere voluisse oratorem non credo, illud

enim ad fidem conciliandam parum aptum esset; rem gestam vere enarratam non credunt iudices nisi illam sub oculis sitam quasi contemplentur, estque illa virtus, quam Dionysius Halic. de Lys. c. 8 vehementer in nostro oratore admiratur: *ὁ δὲ προςέχων τὴν διάνοιαν τοῖς Λυσίου λόγοις, οὐχ οὕτως ἔσται σκαιός, ἢ δυςάρεστος, ἢ βραδὺς τὸν νοῦν, ὃς οὐχ ὑπολήψεται τὰ δηλούμενα ὡς γιγνόμενα ὁρᾶν, καὶ ὥσπερ παροῦσιν, οἷς ἂν ὁ ῥήτωρ εἰσάγῃ, προςώποις ὁμιλεῖν.* Interpolationis vestigium agnosco in verbis *καὶ ἐμοῦ ἀμυνομένου* post tam breve intervallum repetitis.

Ex iis quae leguntur § 25 (*καίτοι πῶς εἰκός, κ. τ. ἑ.*) apparet, Simonem contendisse trecentas se drachmas puero donavisse ad eius amorem sibi conciliandum; hanc pecuniam se postea recuperasse. His a me praemissis nunc verba quae initio sectionis laudatae leguntur: *οὐκ ἐξαρκεῖ περὶ τούτου μόνον αὐτῷ ψεύσασθαι, περὶ τοῦ δεδωκέναι τὸ ἀργύριον, ἀλλὰ καὶ κεκομίσθαι Φησὶν* nullam offerunt obscuritatem. Sed primum lecta offendunt; verbum *κεκομίσθαι* non aptum est; non *accipiendi* sed *recuperandi* notio necessaria est; scripsit fortasse Lysias *κἀνακεκομίσθαι.*

§ 29. *ἀσμένως ἄν με εἶδεν* corrigendum videtur *ἄσμενος.* Ita enim solent Attici reliqui et Lysias praeterquam 13. 11 et 21. 18. De Xenophonte cf. Dindorf. ad Memm. III. 11. 10, qui docet adverbium subinde a librariis pro adiectivo substitutum esse, exemplo usus loco CP. V. 4. 6, ubi vulgo *χρὴ ἀσμένως* legitur, sed corrupta lectio *χρησαμένους*, permutatis duabus litteris, veram monstrat *χρὴ ἀσμένους.* Ad nostrum locum cf. 1. 12: *ἀσμένη με ἑορακυῖα ἥκοντα διὰ χρόνου.* 22. 14: *ἄσμενοι τὰς συμΦορὰς τὰς ὑμετέρας ὁρῶσιν.*

§ 36 id agens orator ut se non petivisse sed petitum esse demonstret, maleficii alicuius, inquit, auctores sunt non qui fugiunt sed qui insequuntur. *Οὐ τοίνυν ταῦτα εἰκότα, ἄλλως δὲ παρ' αὐτῶν πέπρακται, ἀλλὰ καταλαβόντες τὸ μειράκιον ἐκ τῆς ὁδοῦ ἦγον βίᾳ.* Sic Palatinus; *περὶ αὐτῶν* ex deterioribus adsciverunt Turicenses et Scheibius; in qua lectione

αὐτῶν ad ταῦτα erit referendum, i. e. ad ea quae vulgo fiunt, quae probabilia sunt. Nam si voluisset orator hanc inesse sententiam: „sed aliter *in hac re* actum est," dixisset, opinor, περὶ τούτων; et vel sic tamen πράττειν περί τινος raro admodum hac sententia dictum (Xen. An. 1. 6. 6: τοῦτο πράξω περὶ Ὀρόντου, Thuc. VI. 88. 10: ἡ περὶ Μαντινικῶν πρᾶξις) hoc loco certe admodum obscurum esset. Sententia manifesto est: „non tamen haec ratione tantum probantur, „facto autem redarguuntur," vel „non tamen res probabili-„tate tantum nititur, sed est in facto posita." Quod si παρ' αὐτῶν dici potuisset pro ὑπ' αὐτῶν, quo modo Reiskius locum interpretatus est (a Simone eiusque sodalibus), nulla esset difficultas. Sed ita constat παρά tantum post verba *dandi* et *dicendi* ab Atticis usurpari, quo etiam referendum 9. 20 παρ' ὑμῶν τοῦ δικαίου στερηθείς, ubi verbum *adimendi*, utpote contrariae significationis, similiter construitur; in Platonis Symp. 175 E οἶμαί με παρὰ σοῦ πολλῆς καὶ καλῆς σοφίας πληρωθήσεσθαι, non auctorem significat παρά, sed originem; Agatho sapientiam a Socrate, iuxta quem accumbit, ad se transituram dicit, quemadmodum in poculis iuxta positis liquor per lanam sponte ex uno in alterum influat, ut a Socrate tanquam a fonte sapientia emanatura sit. Et in Rpbl. I, p. 332 B ὀφείλεται παρὰ τοῦ ἐχθροῦ τῷ ἐχθρῷ κακόν significatur is a quo (a cuius parte) damnum proficisci atque oriri debeat. Nullam talem interpretationem hic locus admittit. Ferrem τὰ παρ' αὐτῶν: „sed aliter quae isti commiserunt facta sunt," melius tamen illa verba aberunt. Post εἰκότα excidisse μέν Sauppio assentior; nam in hac artissima iunctura, qua οὐ ad alterum membrum refertur, μέν non potest omitti.

§ 37. ὥστε δεινὸν εἰ περὶ τούτων ἐγὼ δόξω προνοηθῆναι, περὶ ὧν οὗτοι τυγχάνουσιν οὕτω δεινὰ καὶ παράνομα πεποιηκότες. Aliena manus infersit περὶ τούτων. Nam περὶ ὧν est περὶ ἐκείνων, ἃ—τυγχάνουσι πεποιηκότες. Ποιεῖν περί τινος hic minime aptum. Proxima quoque sectione (38) inutile emblema

est in verbis: *τί δ' ἂν ποτ' ἔπαθον, εἰ τἀναντία τῶν νῦν γεγενημένων ἦν, εἰ πολλοὺς ἔχων τῶν ἐπιτηδείων ἐγώ, ἀπαντήσας Σίμωνι, ἐμαχόμην αὐτῷ καὶ ἔτυπτον αὐτόν.* Tolle ista *ἦν εἰ*, et pro insolita et dura constructione Atticam habebis et elegantem.

## IV. ΠΕΡΙ ΤΡΑΥΜΑΤΟΣ ΕΚ ΠΡΟΝΟΙΑΣ.

Oratio de Vulnere Praemeditato (IV) tam misere temporis iniuria est affecta, et in tam levi versatur argumento, ut operam fere perdere videretur, qui multum in ea temporis insumeret, nisi ex ea tanquam documento appareret, quo modo Lysiae orationes ad nostra tempora propagatae sint. Lacerae sunt aliquot partes, quae tam habent difficilem explicationem, ut subinde columnas voluminum Herculanensium tibi perlustrare videaris. Quare equidem puto in eo libro ex quo Palatinus per multorum fortasse librorum successionem fluxerit, partem huius orationis evanidam fuisse, librarium autem sine nota omisisse quae deessent aut legi non possent, alium ea quae sic obscura facta essent ex ingenio supplevisse. Nam Lysiae haec abiudicanda esse non ausim statuere; in quo cum Taylorum nemo assensu comprobaverit, non opus est ut multa dicam, cum praesertim Taylorus non alio argumento sit usus, quam quod esset „declamatiuncula in umbra scholae *μεμελετημένη*, ad imaginem superioris orationis elaborata, „cui deinde ob argumenti affinitatem in scriptis codd. perpetuo adhaesisset." Colorem orationis Lysiacum visum esse reliquis interpretibus, quoniam nemo postea de auctore dubitavit, verisimile est; nam de argumentorum tractatione et efficacia in hac depravatione non satis potest iudicari; et cavendum est, ne, si forte subinepta quaedam se offerre videantur, temere continuo Lysiam auctorem esse negemus. Ea est enim proprietas stili Lysiaci, ut simplicitatem in argumentis affectet eoque subinde puerilis possit videri; sed illa simplicitas an „tenuitas" insidiose assensum

auditorum captat, cum non tam oratio arte, quam orator ingenuo et sincero animo, ab omni fraude alieno, se auditoribus commendet, et ita simplex ac paene εὐήθης videatur, ut omnis consopiatur suspicio calliditatis atque calumniae; sed tamen in iis quae ad crimina diluenda non longe arcessita videntur sed sponte se offerre, si propius spectes, sunt partim et captiosa et longe repetita. Huius generis est quod in nostra oratione § 3 legitur, quem locum paulo intricatiorem explicare operae pretium fuerit.

Initio (§ 1, 2) orator, ego, inquit, iu gratiam redii cum adversario, quod iste nunc negat. Ἐβουλόμην (ita pergit § 3) δ' ἂν μὴ ἀπολαχεῖν αὐτὸν κριτὴν Διονυσίοις, ἵν' ὑμῖν φανερὸς ἐγένετ' ἐμοὶ διηλλαγμένος, κρίνας τὴν ἐμὴν φυλὴν νικᾶν. Statim animadvertimus miram rationem defensionis; ingenue enim fatetur iudicem in Dionysiis a se corruptum esse; pacto enim convenisse, ut adversarius si iudex esset creatus, tribui oratoris victoriam adiudicaret, non secundum chori praestantiam, sed amicitiae causa, ut oratoris commodo faveret. Hoc demum est quod dicunt vulnus vulnere sanare. Ac tantum abest ut reus suspicetur, alia Areopagitas de integritate, qua iudices in Dionysiis vulgo uterentur, sentire posse, ut adiudicata victoria ex eius sententia iis documento fuisset amicitiae restitutae, quod adversarius adversario ne iustissima quidem de causa in certamine favere soleret. Nimirum temere effutit, quidquid in buccam venit! Sed consulto hos mores suis hominibus Lysias affingit, ut veraces videantur. Quod si semel sumitur, nunquam iudices Dionysiacos ita fuisse aequos, ut privatam simultatem deponerent, oratoris argumentatio sua vi non caret. — Sed illud insigne documentum amicitiae simul et iniustitiae dari non potuerat; sorte enim actor erat exclusus: ἔγραψε μὲν ταῦτα εἰς τὸ γραμματεῖον, ἀπέλαχε δέ. Interpretor: „nunc quidem haec se facturum in pugillaribus scripsit, sed (fidem solvere non potuit, nam) sorte exclusus est." Articulus ante γραμματεῖον ostendit in parte orationis deperdita illud γραμματεῖον fuisse

cómmemoratum. Statuendum est autem de pacto privato sermonem esse, quod de permutatione et ancillae communi usu initum fuerit, in quo simul inter condiciones reconciliationis positum fuerit illud promissum de certamine Dionysiaco; quod tamen scriptum non amplius exstabat; ita enim nullis rationibus de eo, utrum reconciliatio facta esset necne (§ 1, 2), opus fuisset. Marklandus nonnullis pro *ταῦτα* placere ait *τοὔνομα*, *„nomen* inter competitores referre." Si scriptum ita exstaret, possemus in hac explicatione acquiescere; verum cum aliunde non notum sit, nomina solitos esse profiteri, si qui iudices se fieri cuperent, parum haec coniectura commendatur. Etenim quae de designatione iudicum in Dionysiis aliunde nota sunt huic coniecturae non favent; novimus enim candidatos fuisse *a senatoribus* designatos; eorum nomina in urnam fuisse coniecta, ut in ipso Dionysiorum certamine archon sortes duceret. Cf. Isocr. Trapez. (17) § 33: *Πυθόδωρον γὰρ τὸν σκηνίτην καλούμενον —, τίς οὐκ οἶδεν ὑμῶν πέρυσιν ἀνοίξαντα τὰς ὑδρίας καὶ τοὺς κριτὰς ἐξελόντα τοὺς ὑπὸ τῆς βουλῆς εἰςβληθέντας*; Senatores igitur tabulam alicuius nomine notatam in urnam coniicientes dicuntur *κριτὴν εἰςβάλλειν*, aut (et melius, opinor) *κριτὴν ἐμβάλλειν*, ut infra paucis post verbis: *ἐπεὶ σαφῶς ἔγνωτ' ἂν ὅτι ἡμεῖς ἦμεν αὐτὸν οἱ κριτὴν ἐμβαλόντες καὶ ἡμῶν ἕνεκ' ἐκαθέζετο* (nempe *κριτής*) i. e. et quantum quidem per me potuit (*τοὐπ' ἐμέ*) iudex tum erat. Apparet ex his reum tum fuisse senatorem, quod nondum animadversum credo.

Plura interiisse quam causae expositionem ex § 2 demonstrari posse puto. Hamakerus ibi deleta praepositione *διά* novam lucem orationis argumento offudit: *καὶ τὴν μὲν ἀντίδοσιν [δι'] ἐκείνην φανερός ἐστι ποιησάμενος, τὴν δ' αἰτίαν δι' ἣν ἀπέδωκεν ἃ ἔλαβεν, οὐκ ἂν ἄλλην ἔχοι εἰπεῖν, — ἢ ὅτι οἱ φίλοι περὶ πάντων ἡμᾶς τούτων συνήλλαξαν.* Non enim *propter ancillam* bonorum fecerant permutationem; erat illa communis utriusque, ut eius condicio per antidosin minime mutaretur. Sed simul cum compositione amicorum inter-

ventu facta, ex qua sua cuique bona redderentur, diserte constitutum erat, ut ancillá utrique maneret communis. Actor reum accusabat, quod vi in ipsius (actoris) domum irrupisset propter ancillam et vulnera ipsi inflixisset. Quam accusationem ut probaret, necesse ei videbatur negare conciliationem factam fuisse; hostili animo alienam domum intravisse reum, ut ancilla potiretur, in quam nullum illi ius esset, actor conatus erat demonstrare. Haec nunc ex diligenti causae consideratione satis constant; sed primum legenti haec quomodo cum eo, de quo agitur, cohaereant minime perspicuum est. Neque haec neque illa quae sectione tertia leguntur caput causae continent. Nam fatendum est, etiamsi vel maxime constaret, amicitiam fuisse restitutam et ancillam communem esse utriusque, tamen inde non sequi, ut postea rixa rursus oboriri non potuisset, nec reus ad amorem sibi debitum captandum domum adversarii intrare. Et vero ipse orator § 5: *ἀλλ' ἦν εἰ βούλεται ἐχθρός· δίδωμι γὰρ αὐτῷ τοῦτο· οὐδὲν γὰρ διαφέρει.* Magis perspicua sine controversia haec, quae initio orationis leguntur, fuerunt post causae *enarrationem*, quae praecedebat et ex accusatione ad quam respondetur; sed maius momentum ad demonstrandum non facile habere potuerunt. Quare ne in *refutatione* quidem haec primum locum occupasse crediderim.

Nolo premere suspicionem nonam quoque sectionem laceram esse. In superioribus non rem gestam describit orator, sed ex praesenti tempore apparet notare illum mores adversarii et ancillae, quales vulgo se ostendant (*ὀξύχειρ λίαν καὶ πάροινός ἐστιν — ἀνάγκη δ' ἀμύνασθαι —, ἡ δὲ τοτὲ μὲν ἐμὲ περὶ πολλοῦ, τοτὲ δὲ τοῦτόν φησι ποιεῖσθαι*), tum ad narrationem transit: *καὶ ἐγὼ μὲν καὶ ἐξ ἀρχῆς εὐκόλως εἶχον, καὶ νῦν ἔτι ἔχω*, quo facile divinandum dat se a vi abstinuisse. Tum adversarium opponit, in quem omne crimen violentiae erat retorquendum; id illum facturum exspectes post verba *ὁ δ' εἰς τοῦτο βαρυδαιμονίας ἥκει*, ut sequantur haec aut similia: *ὥστ' ἐμὲ αἰκίζει, καὶ ἐὰν ἀδίκων χειρῶν ἄρξας πληγὰς ὑπ'*

ἐμοῦ λάβῃ οὐκ αἰσχύνεται κ. τ. ἑ. Nunc vero quae leguntur: ὥστε οὐκ αἰσχύνεται τραῦμά τ' ὀνομάζων τὰ ὑπώπια κ. τ. ἑ. nimis exilia sunt post grave illud verbum βαρυδαιμονίας.

Post § 11 deesse quaedam vidit iam Scheibius; nam τεκμηρίων et μαρτυριῶν, quae § 12 memorantur, in superioribus nec vola est nec vestigium. Quaedam etiam brevius ibi commemorantur, quae apparet fusius supra relata fuisse, veluti cum dicat ἔτι δὲ (κατεῖπεν ἂν) εἰ μεταπεμφθέντες ἤλθομεν, apparet finxisse reum se ab actore fuisse arcessitum (cf. § 15) non sponte venisse, id quod in narratione fusius exponi debuit. Sed ea omissione ante § 12 semel facta ad illustranda et supplenda illa quae sequebantur, nunc quidem obscurata, quaedam ab interprete quodam addita esse puto. Verba sunt haec: ἀξιῶ δ' ὅσον ἂν ἐγένετο σημεῖον τούτῳ πρὸς τὸ δοκεῖν ἀληθῆ λέγειν [φυγόντος ἐμοῦ τὴν βάσανον], τοσοῦτον ἐμοὶ τεκμήριον γενέσθαι ὅτι οὐ ψεύδομαι, [διότι οὗτος οὐκ ἠθέλησεν ἐκ τῆς ἀνθρώπου ποιήσασθαι τὸν ἔλεγχον,] καὶ μὴ τοσοῦτον ἰσχῦσαι τοὺς τούτου λόγους ὅτι φησὶν αὐτὴν ἐλευθέραν εἶναι. In iis quae exciderunt mentio erat facta de ancilla ab actore ad quaestionem recusata, et ea quae supra posita sunt, omissis verbis, quae uncis inclusi, satis erant perspicua et plana. Periodus autem ut nunc vulgo legitur, est nimis onerata et male vincta; nam διότι pro ὅτι aliquoties ab Isocrate post verba θαυμάζειν, ἐνθυμεῖσθαι, γνῶναι positum (Benseler, praef. I, p. v) Lysiae non adscribendum est, apud quem merito restitutum 16. 7 γνῶναι ὅτι pro διότι. Praeterea infinitivus ἰσχῦσαι post verba διότι — τὸν ἔλεγχον, alio infinitivo (ποιήσασθαι) interposito, minus commode cum ἀξιῶ iungitur. De emendatione postremorum vocabulorum ὅτι φησίν non apud me constat; fortasse legendum ὅτε φησίν. Sed aliquanto certiora de proximis statuere possumus: ὁμοίως γὰρ προςήκει κἀμοὶ τῆς ἐλευθερίας, τὸ ἴσον καταθέντι ἀργύριον. ἀλλὰ ψεύδεται καὶ οὐκ ἀληθῆ λέγει, quae non possunt aliud significare quam: nam ego aeque „particeps sum „libertatis." Id vero plane alienum. Legendum τῆς ἀπε-

λευθερίας, *manumissionis*. „Ego idem olim solvi quod actor; „si manumissa est, eius beneficii pars mea est." Tum legendum: ὁμοίως γὰρ ἂν προςῆκε. Nam liberam esse negat: ἀλλὰ ψεύδεται καὶ οὐκ ἀληθῆ λέγει. Quoties ἂν exciderit apud Lysiam nihil attinet commemorare; et est haec emendatio certe multo lenior quam traiectio sententiarum, ad quam alii confugerunt.

In § 13 rursus facio cum Hamakero, verba ἔδωκα τὸ ἀργύριον eiiciente; isque olim merito assentientem sibi habuit Scheibium; nam agi de redimendo ab hostibus reo, non de ancilla, manifestum faciunt verba: ἐπὶ τῇ ἐκ τῶν πολεμίων λύσει πραθείη, quae non possunt non significare: ad *meam* ab hostibus redemtionem illa venderetur.

Interpolationis exemplum est in sectione 16; orator demonstrat ex nullo, ne ex servis quidem, aptius posse quaeri de re acta, quam ex ancilla; servi facile favent domino; sed haec erat utrique communis et omnia noverat. Διὰ ταύτην, pergit, ἅπαντα τὰ πραχθέντα ἡμῖν γεγένηται, καὶ οὐ λήσει οὐδὲν ἐν ταύτῃ. Significarent haec nihil tectum in ipsa futurum, plane qualis esset perspectum iri; sed necessarium est: et nihil ex iis, quae fecimus, si hanc interrogavissemus, obscurum fuisset. Omnino probabilis est coniectura Rauchensteini: λήσειν ἤμελλεν; nam futuri temporis (λήσει) quum agatur de re, quae reparari non possit, hoc loco non alius usus esse potest, quam ut futurum sit *in praeterito*. Excidisse igitur videtur ἔμελλε. Pro οὐδὲν ἐν substituo οὐδ' ἂν ἕν, ut legatur καὶ οὐ λήσειν ἔμελλ' οὐδ' ἂν ἕν. Cum ἕν in ἐν depravatum esset, dativum ταύτῃ suppleverunt librarii, quod veram lectionem καίτοι expulit. Fieri enim non potest ut proxima cum his ἀσυνδέτως iuncta fuerint. Sunt autem haec: ἔγωγ' ἄνισον εἶχον βασανισθείσης, ἀλλ' ἀπεκινδύνευον τοῦτο· πολὺ γὰρ περὶ πλείονος τοῦτον ἢ ἐμὲ φαίνεται ποιησαμένη —, ἀλλ' ἐγὼ μὲν εἰς ταύτην κατέφυγον. In his verba ἀλλ' ἀπεκινδύνευον τοῦτο non simpliciter significant: *ego hoc suscepissem;* nam quae proxime sequitur causa: „nam pluris

illum facit quam me" aliena esset; praeterea verba ita accepta idem fere continerent atque illa quae sub finem leguntur: ὅμως, κ. τ. ἑ., ut iustus nexus sententiarum desideraretur. Sententia potius est: „sed cum meo periculo res iuncta fuisset." Quod si mihi datur, consequens est, ut non ἄνισον sed οὐκ ἴσον scribatur, ut ἴσον et ἀπεκινδύνευον per ἀλλά recte opponantur inter se. Itaque lego et interpretor: καίτοι ἔγωγ' οὐκ ἂν ἴσον εἶχον βασανισθείσης, ἀλλ' ἀπεκινδύνευον τοῦτο, „quamquam ego non eadem condicione fuissem (cum adversario) si illa fuisset tortori tradita, sed hoc cum meo periculo iunctum fuisset." Cum ἄνισον exstitisset ex ἂν ἴσον, omissa est negatio quae aliena videbatur. Καίτοι debetur ingenio viri docti qui Laurentianum cum multis coniecturis et mutationibus ex Palatino descripsit; nam auctoritatem illius libri nullam esse liquido demonstravit Sauppius in epistola critica ad God. Hermannum.

Haec omnia quae attuli, qui reputaverit inveniri in oratione, quae (in Scheibii editione) vix quatuor expleat paginas, non magnopere de orationis depravatione a me dissentiet. Ex media refutatione initium fit; defectus indicia deprehendimus § 9; maior lacuna est post § 11; et contra § 13 et 16 interpolationes factae ab aliquo, qui causam non perspexerat et totam orationem non magis quam nos legerat. Unde efficio, vulnera, quibus laborat, satis esse antiqua. Omissiones autem non consulto esse factas, sed casum iam olim partes aliquot abstulisse inde probabile est, quod et initio et ante § 12 ea desiderantur, sine quibus intellectus sequentium paene praeclusus est, non ea, quae segnis librarius reliquis magis neglegi posse putaret.

### VI. ΚΑΤ' ΑΝΔΟΚΙΔΟΥ ΑΣΕΒΕΙΑΣ.

Quamvis hodie nemo fere dubitet quin oratio κατ' Ἀνδοκίδου non sit Lysiae, non tamen desunt, qui eam in eodem iudicio, quo Andocidea de Mysteriis, ab alio oratore pronunciatam existiment. Cf. Hoelscher, de vita et scriptis Lysiae

p. 67. Operae igitur pretium fortasse faciam, si exploravero, num haec oratio ad eandem cum Andocidea causam pertineat et vere habita sit.

Secundum Andocidem Cephisius ἔνδειξιν ἀσεβείας in eum detulit, quod denunciasset patrem propter mysteria violata; contra hoc crimen se defendit orator § 19—33. Hermarum mutilatorum auctores se detulisse fatetur, sed quum alii accusassent innocentes, plures se illa delatione servasse quam perdidisse defendit — § 70. Ex Isotimidae psephismate nunc se accusari, in eos, qui ἀσέβειαν confessi sint, lato, quod in se, quum impietatis non convictus sit, nihil valeat; quod si vel maxime ἀσεβής sit, tamen eo psephismate se non teneri, quoniam ante Euclidem latum sit — § 105. Horum criminum (1. impietatis in patrem, 2. Hermarum deiectorum, 3. templorum Andocidis praesentia profanatorum) postremum tantum a Pseudo-Lysia respicitur, cuius tota argumentatio in eo versatur, ut demonstret, non dignum esse venia Andocidem, arcendum esse a communione sacrorum et civitatis. Mysteria strictim tantum commemorantur sub finem § 50, 51. Patris nusquam diserta mentio est, tantum § 24 dicitur ἀπεκτονὼς εἶναι, οὓς αὐτὸς ἔφη περὶ πλείστου ποιεῖσθαι. Contra apud Andocidem id, in quo cardo rei versatur, est ut purget se a criminibus ex superiore tempore sibi obiectis, in quibus mysteria profanata primo loco memorat § 10. Novum crimen et capitale quidem affertur § 110, quod deposuisset supplicia in Eleusinio; de hoc quoque apud Pseudo-Lysiam altum silentium. Cf § 52, ubi huius rei mentio aptissima fuisset.

Andocides ipse pertinaciter negat se deliquisse, non Hermas se deiecisse (in prima quidem oratione § 29 et 71, nam in altera quae fertur deliquisse se aliquid fatetur § 7; § 25: τῇ τότε ἁμαρτίᾳ). Apud Pseudo-Lysiam verba fiunt in re confessa.' Cf. § 14: ἔπειτα δ' ἐκεῖνοι μὲν ἀρνοῦνται τὰ μεμηνυμένα, οὗτος δ' ὁμολογεῖ ποιῆσαι. Sequens disputatio instituitur ut demonstretur οὐ χρῆναι γνώμην ὁμοίαν ἔχειν περί τε τῶν ἀρνουμένων καὶ περὶ τῶν ὁμολογούντων.

Decretum factum fuisse, quo solus Andocides diserte templis excluderetur, neque prima neque altera oratione Andocidis proditum exstat; secus apud Pseudo-Lysiam § 24: *καὶ προςεψηφίσασθε ὑμεῖς αὐτὸν εἴργεσθαι τῆς ἀγορᾶς καὶ τῶν ἱερῶν* et § 52 *τὸν νόμον, ὃν ὑμεῖς ἔθεσθε, εἴργεσθαι τῶν ἱερῶν αὐτὸν ὡς ἀλιτήριον ὄντα.*

Apud Pseudo-Lysiam non tantum rami supplicis in Mysteriorum celebratione depositi nulla mentio est (And. 110), sed etiam de mysteriis sermo est tanquam instantibus § 5: *καὶ τίνα γνώμην οἴεσθ' ἕξειν τοὺς μύστας τοὺς ἀφικνουμένους, — ἢ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας οἳ ἕνεκα ταύτης τῆς ἑορτῆς . . (ἔρχονται?* And. 1. 32) *ἢ θύειν εἰς ταύτην τὴν πανήγυριν βουλόμενοι, ἢ θεωρεῖν;*

Apud Andocidem Cephisius defert; apud Pseudo-Lysiam § 42 haec leguntur: *ἴσως οὖν καὶ Κηφισίου ἀντικατηγορήσει καὶ ἕξει ὅ τι λέγῃ· — ἀλλ' ὑμεῖς οὐδ' ἂν δύναισθε τῇ αὐτῇ ψήφῳ τόν τ' ἀπολογούμενον καὶ τὸν κατηγοροῦντα κολάσαι.* Secundum haec verba Lysiacae auctor est secundarius accusator et socius Cephisi. Itaque haec oratio in eadem causa habita dicitur, atque Andocidea. Et tamen status quaestionis est alius; non in exiguis quibusdam sed gravibus rebus discrimen est.

Unde quid sequitur aliud, quam auctorem Lysiacae *finxisse* hanc orationem vere habitam, sed fraudis coargui? Non igitur potest haec oratio a Meleto aut alio ex iis qui Andocidem accusarunt scripta esse.

Tota haec subverteretur argumentatio si Andocidis oratio de Mysteriis subditicia esset. Sed quamvis fatear, argumenta, quibus Mehlerus eius auctoritatem in dubium vocavit, maxime ea quae de loco *περὶ ἀτιμίας* dicit, gravia esse, mihi tamen non persuasit, orationem totam esse Andocidi abiudicandam. Sed supersedere possum ea quaestione, quoniam etiam aliis indiciis ex ipsa oratione petitis auctor Pseudo-Lysiacae fraudis convincitur. Saepius sibi ipse obloquitur et iis verbis et ea orationis structura utitur, quae bono

oratore Lysiae aequali indigna sint. Vide mihi statim insulsam illam enumerationem regionum § 6: ἔπειτα δὲ καὶ διώχληκε πόλεις πολλὰς ἐν τῇ ἀποδημίᾳ, Σικελίαν, Ἰταλίαν, Πελοπόννησον, Θετταλίαν, Ἑλλήσποντον, Ἰωνίαν, Κύπρον. Constat πόλις de insula dici veluti Arist. Pac. 251; isti vero simile exemplum, ubi scilicet πόλις dicatur de regione, quae plures ipsa *civitates* complectitur, nusquam ne apud poetam quidem inventum. Tum etiam historica difficultate haec premuntur; nam ut haec ad *legationes* pertineant ab Andocide ante exsilium susceptas (quae Ruhnkenii sententia erat) verbum ἀποδημία non permittit; nam aut ipsum πρεσβείας vocabulum erat usurpandum aut aliud invidiosius quam ἀποδημία. Praeterea mirum in eas ipsas regiones legatum missum fuisse Andocidem; quare Wyttenbachius putavit confudisse hîc auctorem peregrinationes et legationes (Bibl. Crit. III. 3. p. 78). Scilicet in Siciliam, Italiam, alio legatus est (adv. Alc. 41), in Cyprum post exilium peregrinatus (infr. § 26, 28). Sed mitto hanc difficultatem, quae mihi non maxima videtur; neque omnino propositum est, de factis in quibus versetur oratio exponere, de quibus in utramque partem a Sluitero et Hoelschero ita dictum est, ut res acta videatur. Sobrio potius iudicio opus est, quam nova materiae dudum collectae dispositione. Equidem vereor ne in rationibus, quibus historicas difficultates removere conatur Hoelscherus, tanta copia sit veri similium, ut vera sint pauca; nam concursus multarum rerum magis minusve dubiarum, de quibus nihil possit amplius demonstrari nisi non plane veri esse dissimiles, admodum improbabilis est. Etiamsi igitur in singulis plerisque rem se habere *posse*, quemadmodum Hoelschero videatur, largiendum sit, ut auctor rerum aequalium imperitus subinde titubaverit, tamen non eum vicisse existimabimus, oratorem identidem in eadem oratione turpiter errare de rebus vulgo notis potuisse (cf. e. g. Hoelscher. p. 62. 4 et 5 sub finem). Mitto igitur argumenta ex historia petita; tantum addo § 46 πλέον ἢ τετταράκοντ᾽ ἔτη

γεγονώς pugnare cum vulgari sententia de Andocidis aetate, ex qua natus est Ol. 78. 1, ut nunc annos ageret amplius sexaginta.

In re grammatica exploranda partim eadem res est. Nam ut redeam ad § 6, fieri potest ut ἀπὸ τῶν πολὺ διαφερόντων ἢ κακῶν ἢ ἀγαθῶν (additur ἔργων, quod fortasse omittendum) τοὺς ποιήσαντας γιγνώσκεσθαι pro ἐκ dixerit ἀπό Lysiae aequalis, quemadmodum Aesch. 1. 44, Plat. Conv. 222. B; ut διώχληκε cum recentioribus pro ἠνώχληκε semel posuerit; sed si his addideris eodem loco πόλεις usurpari de regionibus, paulo post soloece, ut opinor, coniunctivum cum ἄν collocari: κεκολάκευκεν ᾧ ἂν ξυγγένηται, fateberis illa priora suspicionem augere; fieri enim vix potest ut Lysiae aequalis orator intra tam breve spatium tot insolentia sibi excidere passus sit. Mitto, ut aequum est, ea quae facili negotio emendari possunt, veluti ὃς τέχνην ταύτην ἔχει (cf. 1. 16) τοὺς μὲν ἐχθροὺς μηδὲν ποιεῖν κακόν, τοὺς δὲ φίλους ὅ τι ἂν δύνηται κακόν, ubi prius κακόν certatim eiecerunt Valckenaerius, Sluiterus, Cobetus, iniuria restituit Scheibius; et νῦν οὖν ὑμῖν ἐν ἀνάγκῃ ἐστὶ βουλεύσασθαι περὶ αὐτοῦ, quod medius fidius non necesse erat dicere; quasi vero iudices dubitare possent, num discernendum esset de causa ad se delata; sed scribendum περὶ αὑτῶν. Vestra ipsorum, inquit, existimatio agitur. Et hoc demum sequitur ex superioribus: οὐ ῥᾴδιόν ἐστιν ὑμῖν αὐτῷ οὐδὲν χαρισαμένοις παρὰ τὸ δίκαιον λαθεῖν τοὺς Ἕλληνας. cf. 28. 16: εὖ περὶ αὑτῶν βουλεύσεσθε. 18. 15: ἃ μὲν Λακεδαιμονίοις συνέθεσθε βεβαιώσετε, ἃ δ' αὐτοῖς ἐψηφίσασθε οὕτω ῥᾳδίως διαλύσετε et paulo post τὰς πρὸς αὑτοὺς (συνθήκας). Xen. Hell. I. 7. 29: ἑαυτῶν ὄντας τοὺς νόμους. Infr. 12. 33: οὐ γὰρ μόνον ἡμῖν παρεῖναι οὐκ ἐξῆν, ἀλλ' οὐδὲ παρ' αὑτοῖς εἶναι. Aeschyl. ap. Arist. Av. 808 coll. schol.: τάδ' οὐχ ὑπ' ἄλλων ἀλλὰ τοῖς αὑτῶν πτεροῖς Ἁλισκόμεσθα et all.

Sed longum est, singula persequi, quae minus recte dicta sunt, ex quibus pars certe librariis debetur; tamen horum numerus tantus est, ut culpa scriptoris negari non possit.

Praestat notare ea, quae non tam in linguam peccant, quam male demonstrata sunt et rhetorem arguunt.

Declamatoris est refercire orationem rebus alienis sed „magna sonaturis." Ita exsultat homo noster in mentione Areopagi § 14, sqq. Vos oportet, inquit, aliter de reis manifestis (ὁμολογησάντων), aliter de iis, qui negant se deliquisse iudicare. Καίτοι καὶ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, ἐν τῷ σεμνοτάτῳ καὶ δικαιοτάτῳ δικαστηρίῳ, ὁμολογῶν μὲν (requiro ὁ μὲν ὁμ.) ἀδικεῖν ἀποθνήσκει, ἐὰν δ' ἀμφισβητῇ ἐλέγχεται. Nihil est in his, cur tam magnificum Areopagi praeconium proferatur; nec sane mirum, qui neget se malefecisse redargui, aut morte plecti qui capitale crimen se commisisse fateatur. Magis etiam mira esset haec laus, si subiunxisset scriptor illud quod ex Lobecki coniectura nunc subiungitur: καὶ ἀπολύεται οὐδὲν δόξας ἀδικεῖν. Quid enim quis aliud a quovis exspectaret iudicio? Sed fieri potest, ut in verbis corruptis καὶ πολλοῦ οὐδὲ δόξαν ἀδικεῖν talis sententia lateat καὶ πολλοὶ ἤδη οὐχ ὁμολογήσαντες οὐδ' ἔδοξαν ἀδικεῖν, „multi adeo quod nega„verant se peccasse absoluti sunt," unde certe effici posset, quanta vis in illo iudicio confessioni adscribi soleret. Et sic cum aliqua specie dicerentur quae sequuntur: οὔκουν χρὴ ὁμοίαν γνώμην ἔχειν περί τε τῶν ἀρνουμένων καὶ τῶν ὁμολογούντων. Sententiae propositae respondet lectio Laur. καὶ πολλοὶ οὐδ' ἔδοξαν ἀδικεῖν, quam veram aut vero propiorem iudico quam receptam. Nec tamen nego haec obscure dicta esse; totumque hunc locum de Areopago ad „ambitiosa ornamenta" refero.

Nihilo magis apta est argumentatio de Diagora Melio § 17. Andocides, inquit, magis etiam impius est quam Diagoras Melius; hic enim deliquit in deos alienos, iste in patrios. Ὀργίζεσθαι οὖν χρή, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς ἀστοῖς ἀδικοῦσι μᾶλλον ἢ τοῖς ξένοις περὶ ταῦτα τὰ ἱερά, „magis igitur vos sus„censere oportet civibus peccantibus in haec sacra quam pe„regrinis." Quis est quin videat haec male conclusa esse? Sic enim procedere debebat argumentatio: vos Diagoram peregrinum punivistis; cives *autem* in sacra sua delinquentes

magis sunt culpandi quam peregrini; ergo maiore poena dignus est Andocides civis quam Diagoras peregrinus. Itaque pro *ὀργίζεσθαι οὖν* requirebatur *καίτοι ὀργίζεσθαι κ. τ. ἑ.*

Aeque plumbeus est in loco de sera numinis vindicta § 20: *ἐλπίζω μὲν οὖν αὐτὸν καὶ* (?) *δώσειν δίκην, θαυμάσιον* (pro *θαυμαστὸν*) *δ' οὐδὲν ἄν μοι γένοιτο*, quae in hanc sententiam supplenda erunt: spero fore ut etiam poenas det, sed nihil mirer si non statim det. Sed in proximis rursus suggerit post alia illa, unde appareat statim poenam secuturam esse: *οὐδὲ γὰρ ὁ θεὸς παραχρῆμα κολάζει, ἀλλ' αὕτη μέν ἐστιν ἀνθρωπίνη δίκη*. Quae aliena sunt; nam etiam humanum iudicium nunc imminet Andocidi. Scio equidem haec addi potuisse ut per oppositionem humanae vindictae divina poena evidentius significaretur; sed tali oppositione, qualis haec est, facile aberrat animus auditorum ab eo quod agitur et rursus ab humana poena per momentum ostenta redire cogitur ad divinam; nam sequentia non cohaerent cum *ἀνθρωπίνη δίκη* sed cum *οὐδὲ γὰρ ὁ θεός*. Simili vitio laborant verba § 10: *οὐδ' αὐτὸν τὸν θέντα ἴσασιν.* Sed haec parum curabat rhetor, qui unice nunc occasionem captat describendi poenas, quae quamvis dilatae noxios maneant. Totus autem hic locus de divina vindicta convenit cum Andocidea § 137: *Κατηγόρησαν δέ μου καὶ περὶ τῶν ναυκληριῶν καὶ περὶ τῆς ἐμπορίας, ὡς ἄρα οἱ θεοί με ἐκ τῶν κινδύνων σώσαιεν, ἵνα ἐλθὼν δεῦρο, ὡς ἔοικεν, ὑπὸ Κηφισίου ἀπολοίμην*, quod iam alii animadverterunt, sed etiam cum Lycurgo adv. Leocr. 91: *ἐπεὶ τό γε* (vulgo *γε τὸ*) *κατελθεῖν τοῦτον, οἶμαι θεόν τιν' αὐτὸν ἐπ' αὐτὴν ἀγαγεῖν τὴν τιμωρίαν, ἵν' ἐπειδὴ τὸν εὐκλεᾶ κίνδυνον ἔφυγε, τοῦ ἀκλέους καὶ ἀδόξου θανάτου τύχοι.* Ps.-Lysias § 19: *ὁ δὲ θεὸς ὑπῆγεν αὐτόν, ἵνα ἀφικόμενος εἰς τὰ ἁμαρτήματα ἐπὶ τῇ ἐμῇ προφάσει δῷ* (vulgo *δώῃ*) *δίκην. Ἐπὶ τῇ ἐμῇ φάσει* acute Sluiterus coniecit, sed haud scio an *ἐπὶ τῇ ἐμῇ προφάσει*, *opportunitate a me data* nihilo peius sit quam *ἀφικέσθαι εἰς τὰ ἁμαρτήματα* pro *ἐπὶ τὴν τιμωρίαν τῶν ἁμ.* vel *ἐπὶ τοὺς ἠδικημένους* (cf. 27), iure merito a nullo

non notatum. Atque talia Lysiae aequalem scripsisse putabimus!

Similia aliis quoque locis deprehenduntur, quae mitto ne rem actam agam. Tantummodo de quibusdam, quae emendari possint, sententiam proponam.

§ 13. Ἀλλὰ λέξει δεινὸν εἶναι, εἰ ὁ μὲν μηνυτὴς τὰ ἔσχατα πείσεται, οἱ δὲ μηνυθέντες τῶν αὐτῶν ὑμῖν ἐπίτιμοι ὄντες μεθέξουσι. Καίτοι οὐχ ὑπὲρ αὐτοῦ ἀπολογήσεται, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων κατηγορήσει In his καί post ἀλλά non est aptum; non enim se ipsum cum reliquis *accusaturus* erat; reliquos erat accusaturus, qui impios receperant in urbem, se ipsum non defensurus. Facilis est et vera emendatio Sluiteri οὐχ ὅπως ὑπέρ. Nam facile notam vocabuli ὅπως (ΟΠ') potuisse excidere ante ὑπέρ quisque videt.

Sequuntur haec: τοὺς μὲν οὖν ἄλλους οἱ ἐπιτάξαντες καταδέξασθαι ἀδικοῦσι, καὶ τοῦ αὐτοῦ ἀσεβήματος αἴτιοί εἰσιν. Igitur non sponte sua egisse cives sed impulsu δημηγόρων, qui propterea eodem impietatis crimine se implicaverint dicit. Εἰ δ' ὑμεῖς αὐτοκράτορες ἦτε, καὶ ἐστὲ οἱ ἀφελόντες τὰς τιμωρίας τῶν θεῶν, ἀλλ' οὐχ οὗτοι αἴτιοι ἔσονται. Ita locum corruptum ex Palatino edidit Scheibe. Ἦτε et ἐστέ reliquiae sunt lacerae verae lectionis; καί a librariis adiectum videtur loco iam depravato; eius forma sic potest restitui αὐτοκράτορες ...η.τε....εσθε, ut hoc olim lectum sit: εἰ δ' ὑμεῖς αὐτοκράτορες ἀφήσετε ὑμεῖς ἔσεσθ' οἱ ἀνελόντες τὰς τιμωρίας τῶν θεῶν, „sin nunc, dum vestrum arbitrium est, Andoci„dem absolveritis, apparebit vos esse eos, qui deorum vin„dictam (et nunc et olim quum reliqui recepti sunt) sustuleritis (non demagogos qui olim vobis persuaserint)" Similis argumentatio est 12. 90, sq. Ad formam orationis cf. And. 1. 17: ὁ δὲ πείσας καὶ δεόμενος ἐγὼ ἢ μάλιστα. Lys. 1. 19, 3. 46, 4. 4: σαφῶς ἔγνω τ' ἂν ὅτι ἡμεῖς ἦμεν αὐτὸν οἱ κριτὴν ἐμβαλόντες.

§ 16. Φασὶ δὲ καὶ τῶν Ἑλλήνων πολλοὺς διὰ τὰ ἐνθάδε ἀσεβήματα ἐκ τῶν παρ' αὐτοῖς ἱερῶν ἐξείργειν. Ἐξείργειν ab-

solute sic usurpari non potest; aut legendum *τοὺς Ἕλληνας πολλούς*, aut, et potius quidem, *αὐτόν* (i. e. Andocidem) post *ἱερῶν* addendum. Tum scribendum *παρ' αὐτοῖς*.

§ 18. *ἐπικηρύττοντες τάλαντον ἀργυρίου δώσειν τῷ ἀπάγοντι ἢ ἀποκτείναντι*. Litterae *αγ* bis ponendae erant: *ἀπαγαγόντι*.

§ 20. *ὁρῶν καὶ ἑτέρους ἠσεβηκότας χρόνῳ δεδωκότας δίκην, καὶ τοὺς ἐξ ἐκείνων διὰ τὰ τῶν προγόνων ἁμαρτήματα*. Postrema nimis exilia per se in hoc scriptore ferrem, nisi emendatio esset facilis. Est autem facillima; ante ΚΑΙ ΤΟΥΣ addendum est ΚΑΙ ΑΥΤΟΥΣ; *καὶ αὐτοὺς καὶ τοὺς ἐξ ἐκείνων*.

Ibidem paulo post legitur: *ὁ δὲ θεὸς τέλος τούτων λυμηνάμενος τῷ βίῳ θάνατον ἐπέθηκεν*. Fort. *ὁ δὲ θεὸς διὰ τέλους τούτων λυμηνάμενος τῷ βίῳ, βιαῖον θάνατον ἐπέθηκεν*.

§ 37. *Πυνθάνομαι δ' αὐτὸν μέλλειν ἀπολογήσεσθαι ὡς αἱ συνθῆκαι καὶ αὐτῷ εἰσι, καθάπερ καὶ τοῖς ἄλλοις Ἀθηναίοις*. Mire dictum est *αἱ συνθῆκαι αὐτῷ εἰσι*. *Ἅπασι κεῖται ὁ νόμος* puto Graecum esse, non *ἔστιν ὁ νόμος*. Pro ΚΑΙ lego ΚΥΡΙΑΙ: *ὡς αἱ συνθῆκαι κύριαι αὐτῷ εἰσιν*.

§ 38. *οὐδενὶ γὰρ ἡμῶν τοσούτων ὄντων τὰ αὐτὰ ἁμαρτήματα οὐδ' ὅμοια ἦν τοῖς Ἀνδοκίδου, ὥστε καὶ τοῦτον ἡμῶν ἀπολαῦσαι*, i. e. ut hic ex nostris vitiis proficiat. Superiora, quamvis contorta, tamen scriptori imputanda.

§ 48. Post § 49 excidit fere pagina, qualis est in Scheibi editione. Cf. Sauppe, ep. crit. p. 7. Sed etiam § 48 lacunosa est. Quae supplenda videntur (partim secundum Franzium et Augerium) uncis inclusa addam: *Ἀνδοκίδης δὲ ἀπαθὴς τούτων τῶν κακῶν γενόμενος (καὶ οὐδὲν συμβαλὼν) εἰς [τὴν] σωτηρίαν τῇ πατρίδι, ἀξιοῖ νυνὶ μετέχειν τῆς πόλεως ἀσεβῶν ἐν αὐτῇ. Ἀλλὰ πλουτῶν γὰρ (ὠφελήσει) καὶ δυνάμενος τοῖς χρήμασι καὶ βασιλεῦσιν ἐξενωμένος καὶ τυράννοις; — ἃ νυνὶ κομπάσει, ἐπιστάμενος τοὺς ὑμετέρους τρόπους. — Ποίαν δ' εἰςφορὰν (εἰςέφερεν ἐφ' ᾗ) τούτῳ ἀγαθὸν (ἄν τι) γίγνοιθ' (ὃς) καὶ ἐπιστάμενος ἐν πολλῷ σάλῳ καὶ κινδύνῳ τὴν πόλιν γιγνομένην οὐκ ἐτόλμησε (τῇ ἐλπίδι τῆς ἀδείας) ἐπαρθεὶς σῖτον εἰςάγων ὠφελῆσαι τὴν πατρίδα*. Iis locis ubi *ὠφελήσει, ἄν τι, τῇ ἐλ-*

πίδι τῆς ἀδείας inserui, vulgo nulla sunt lacunae indicia; nec tam praestare possum haec ipsa verba, quam aliquid omnino omissum esse; nam quamvis verbum finitum (ὠφελήσει) in altercatione omittatur, hoc tamen loco ex superioribus cogitatione non facile suppletur. Quae ad ἐπαρθείς emendandum proposita sunt (ἀποροῦσι, Westerm.; ἐπὶ πράσει Scheibe) acute inventa sed parum probabilia videntur; Reiskius quoque aliquid excidisse putabat; nimirum κέρδει. Sed ἀδείας ἐλπίδι vel simile quid propius ad verum accedere puto propter oppositum: ἀλλὰ μέτοικοι μὲν καὶ ξένοι ἕνεκα τῆς μετοικίας ὠφέλουν τὴν πόλιν. Ad defendendum τούτῳ ἀγαθὸν (ἄν τι) γίγνοιτο nunc sufficiet unum locum attulisse, supra 3. 11: οὗτος δ' αἰσθόμενος — παρεκάλεσέ τινας τῶν τούτου (pro ἑαυτοῦ) ἐπιτηδείων. Quod si incredibiliter durum videatur conf. eiusdem orationis § 28 et huius ipsius orationis § 11. In proximis γίγνοιθ' ὅς substitutum a me est pro γίνοιντο (Palat).

Per hanc opportunitatem invat ad Andocidis orationem *de Mysteriis* paucas quasdam afferre emendationes.

§ 19. Τὰ μὲν γενόμενα ἠκούσατε, ὦ ἄνδρες, καὶ ὑμῖν οἱ μάρτυρες μεμαρτυρήκασιν· ἃ δ' οἱ κατήγοροι ἐτόλμησαν εἰπεῖν, ἀναμνήσθητε. οὐ γὰρ καὶ δίκαιον ἀπολογεῖσθαι, ἀναμιμνήσκοντας τοὺς τῶν κατηγόρων λόγους ἐξελέγχειν; Interrogatio huic loco parum apta est. Legendum οὕτω γὰρ κ. δ. ἀ. ἀναμιμνήσκοντα κ. τ. ἑ. „nam sic etiam iustum est (non tantum „utile) defensionem instituere, si in memoriam vobis re„vocem et simul redarguam."

§ 86. Recitatur lex: ἀγράφῳ δὲ νόμῳ τὰς ἀρχὰς μὴ χρῆσθαι μηδὲ περὶ ἑνός. Tum addit orator: ἆρά γέ ἐστι τοῦτο ὅτι περιέλειπτο (sic libri) περὶ ὅτου οἷόν τε ἢ ἀρχὴν εἰςάγειν, ἢ ὑμῶν πρᾶξαί τινι, ἀλλ' ἢ κατὰ τοὺς ἀναγεγραμμένους νόμους. Legendum puto: ἆρά γ' ἔστιν ὅ τι περιελέλειπτο, περὶ ὅτου οἷόν τ' ἦν ἢ ἀρχὴν εἰςάγειν, ἢ ὑμῶν πρᾶξαί τινα, ἄλλως ἢ κ. τ. ἀ. ν. „Superestne aliquid, in ea lege omissum, de quo „referre posset magistratus, aut quod quisquam vestrum agere „posset, nisi secundum leges rescriptas?"

§ 102. Si ego sub triginta viris accusatus essem, interrogavissent me, ecquod scelus in populum commisissem; quod si negavissem, propter id ipsum me condemnassent. Οὐδὲν; (πρ. τῶν εἰρημένων πεποίηκας, „nihilne in populum deliquisti?") δοκεῖς οὖν χαιρήσειν ἢ οὐκ ἀποθανεῖσθαι, ὡς ἕτεροι πολλοί; „Et „tamen, inquit, putas te salvum ex hoc iudicio abiturum „nec capite punitum iri cum multis aliis?" Tum orator ad iudices se convertens: ἆρ' ἂν οἴεσθ' ὦ ἄνδρες ἄλλων τινῶν τυχεῖν με δι' ὑμᾶς (libri ἡμᾶς) εἰ ἐλήφθην ὑπ' αὐτῶν; Ita nunc a Turicensibus editum, recepto ἂν quod in libris desideratur. Sed etiamsi neminem damnaverint triginta viri nisi per populi suffragia, tamen huius rei mentio importuna exprobratio fuisset, magis accommodata ad alienandos quam conciliandos iudicum animos. Post τυχεῖν με excidisse videtur εἰ μὴ (post EINME: EIMH) „putatisne me aliud quid auditurum „fuisse, nisi forte vos restitissetis?" Nam τυχεῖν non tantum pertinet ad condemnationem sed etiam ad interrogationes propositas, quas quominus totidem verbis faceret Charicles, sine dubio verecundia erga populum prohibitus fuisset.

### VII. ΑΡΕΟΠΑΓΙΤΙΚΟΣ. ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΣΗΚΟΥ ΑΠΟΛΟΓΙΑ.

Frigidus admodum iocus est initio huius orationis; ego, inquit, ita praeter opinionem accusatus sum ὥστ' εἴ πως οἷόν τε, δοκεῖ μοι δεῖν καὶ τοὺς μὴ γεγονότας ἤδη δεδιέναι περὶ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι. Ita inepte haec exaggerata sunt, ut suspicer oratorem ad proverbium aliquod nobis ignotum respicere, cuius frequenti usu hyperbole lenita et minus insolita fuerit. Aliis quoque locis in hac oratione inveniuntur, quae homini hebeti nimisque simplici unice accommodata sunt. Vide quam inutilis copia verborum sit § 5: νομίζω γὰρ τοῦ μὲν προτέρου χρόνου, οὐδ' εἰ πάλαι ἐνῆσαν μυρίαι, οὐκ ἂν δικαίως ζημιοῦσθαι, quae, etsi nemo prudens, si abessent, desideraret, tamen auditoribus, si a simplici et aperto homine proferantur, non displicebunt; quae sequuntur si brevius essent enunciata, multo

essent efficaciora; nam illa *περὶ τῶν ἀλλοτρίων ἁμαρτημάτων* plane sunt supervacanea. Simile est § 7 *ἑτέρων ἐκκοψάντων*, in quo haesit Halbertsma. Imo tota illa demonstratio § 6—8 minime erat necessaria, quum constaret accusatum agrum in bello non possedisse. De verbis *οὐ γὰρ οἷόν τε, ἃ πρότερον μὴ ἦν, ταῦτα τὸν ὕστερον ἐργαζόμενον ἀφανίζειν* (§ 11) supra monitum est; talia sunt, ut ne puer quidem haec docendus esse videatur. Sed apta sunt rationi defensionis Lysiacae. Callide praetexta est illa paene puerilis simplicitas et acutam argumentationem non excludit. Sic § 17 demonstrat stulte se acturum fuisse truncum excidentem, quod multis antea fundum elocasset, qui testes essent futuri, fuisse olim truncum oleae in agro, et quorum interesset demonstrare se truncum succedentibus conductoribus tradidisse; nemo ex iis falso dicturus erat, se fundum sine trunco accepisse, quoniam sic sibi ipse periculum erat paraturus. Sectione 12 dicens: nunc velim vobis, iudices, prudens videri, quod illud causae conducit, demonstrat ipsis illis verbis, se non esse bardum nec stupidum. Potuisses, inquit § 21, magnam tibi a me parare pecuniam, si ego tam manifesto peccassem; non enim ego recusassem, sed te pecunia oblata placassem.

In ipsa causa post ea quae Bremius et Rauchensteinius monuerunt, nihil obscuri est. Addendum tantum videtur Nicomachum, qui hic accusator est, non esse illum, in quem tricesima scripta est oratio; hic enim iam aliquot annis ante triginta viros munere publico functus erat; qui in septima est accusator *οὐκ εἶχεν ἡλικίαν εἰδέναι περὶ τῶν τοιούτων* (§ 29) i. e. de iis quae Suniade archonte (a. 397) facta erant; cf. § 11.

§ 1. *οὕτως ἀπροςδοκήτοις αἰτίαις καὶ πονηροῖς συκοφάνταις περιπέπτωκα.* Legendum cum Augerio *καὶ πονηραῖς συκοφαντίαις.*

§ 3. *Καὶ δεῖ με περὶ ὧν οὗτος ἐπιβεβουλευκὼς ἥκει ἅμ' ὑμῖν τοῖς διαγνωσομένοις περὶ τοῦ πράγματος ἀκούσαντα καὶ περὶ τῆς πατρίδος καὶ περὶ τῆς οὐσίας ἀγωνίσασθαι.* Ita ex coniectura Sauppi (ep. crit. ad G. Herm. p. 12) locum de-

dit Scheibius pro lectione Pal. *ἀλλ' ὑμῖν* et *ἀκούσαντας*. Recte Sauppius statuit novum crimen in se nunc primum coniectum esse reum conqueri. Sed quod *nunc primum* audiebat crimen omitti non debuit. Tum etiam illud *ἥκει* sanum non videtur, cum quo aliud participium iunctum, aut certe aliud tempus participii expectes, veluti *μεμελετηκώς*, *παρεσκευασμένος*, *ἀπολογησόμενος*. Locus lacer est, et ea sententia, quam vere divinavit Sauppius, ex verbis male habitis non clare pellucet. Amplector quod margo Stephani habet: „deest (aliquid) post *ἥκει* et rursus post *πράγματος*;" quamquam qua auctoritate illud referat nescio, nam Palatinus nulla defectus indicia habere videtur. In loco tamen turbato aliquid periclitari concedetur. Coniicio: *καὶ δεῖ με περὶ ὧν οὗτος ἐπιβεβουλευκὼς εἰκῇ ἔπλασ', ἅμ' ὑμῖν τοῖς διαγνωσομένοις περὶ τοῦ πράγματος νῦν πρῶτον ἀκούσαντα, περὶ τῆς πατρίδος καὶ περὶ τῆς οὐσίας ἀγωνίσασθαι.* Reus ita se candidum et innocentem fingit, ut quo argumento crimen, quod nunc obiectum ipsi sit, niteretur ante iudicium ne coniectura quidem assequi potuerit. „Et oportet me de iis, quae hic mihi insidiatus temere confinxit, una vobiscum, qui causam disceptaturi estis, nunc primum edoctum, et de patria et de bonis contendere." Inter *εἰκῇ* et *ἅμ'* potuit excidere *ἔπλασ'*, cuius vocabuli litterae non magnopere differunt a postremis superioris et primis insequentis vocabuli (CHAM, ΕΠΛΑC); ante *ἀκούσαντα* nota qua *πρῶτον* significatur, excidisse videtur.

§ 6. *τὰ δ' ἐγγὺς ὑπὸ τῶν Φίλων διηρπάζετο.* De re praeter ea quae ab interpretibus allata sunt cf. 14. 33: *καὶ γὰρ ὑμᾶς φεύγοντας Φυλὴν καταλαβεῖν καὶ δένδρα τεμεῖν καὶ πρὸς τὰ τείχη προςβαλεῖν*, et Isocr. 16. 13. — Apparet autem liberiorem h. l. esse constructionem; nam post *καὶ ἄλλων πολλῶν κακῶν αἴτιος γεγένηται* sequi debebat *καὶ τοῦ τὰ μὲν πόῤῥω ὑπὸ Λ. τέμνεσθαι κ. τ. ἑ.*; in quo tamen nulla est offensio. Sed quod sub finem nunc fere legitur *ἄπρακτον* pro lectione Palatini *ἄπραστον* aut *ἄπρατον* non puto de agro dici posse;

requiritur *ἀργόν* vel simile quid; fortasse *ἄσκαπτον*. *Ἄπρατον* sententiae non satisfacit. Cf. § 4, ex qua apparet nullo tempore agellum fuisse *ἀδέσποτον*. Plane quidem neutra lectio cum illa sectione conciliari potest; sed tamen melius cum *ἄσκαπτον* (aut *ἀργόν*); nam verba *τὸν μὲν ἄλλον χρόνον ἐγεώργει* non nimis urgenda sunt; Apollodorus qui per sex septemve annos possederat, donum a populo acceptum non nimis curaverat.

§ 7. *καὶ τῶν αὐτῶν — κεκτημένων, οὐκ ἀξιοῦτε παρ' αὐτῶν.* Post *τῶν αὐτῶν* add. *ταῦτα*: „quum haec diu ab iisdem possessa sint."

§ 12. Admodum perturbata sunt tempora et modi in his: *νῦν δὲ πάντας ἂν ὑμᾶς βουλοίμην περὶ ἐμοῦ ταύτην τὴν γνώμην ἔχειν, ἵνα ἡγῆσθέ με σκοπεῖν, εἴπερ τοιούτοις ἔργοις ἐπεχείρουν, καὶ ὅ τι κέρδος ἐγένετο τῷ ἀφανίσαντι καὶ ἥτις ζημία τῷ ποιήσαντι καὶ τί ἂν λαθὼν διεπραξάμην καὶ τί ἂν φανερὸς γενόμενος ὑφ' ὑμῶν ἔπασχον.* Non ferendus est coniunctivus post *βουλοίμην ἄν*, sequente praeterea *ἐπεχείρουν*. Fortasse scriptum fuit *ἐβουλόμην — ἵν' ἡγῆσθε*, noto usu temporum historicorum indicativi post particulas finales. Fieri facile potuit, ut quum Ε post C excidisset ex residuo *βουλόμην* factum sit *βουλοίμην*. In sequentibus *τῷ* post *ἐγένετο* ex male repetitis litteris *το* exstitit; nam non in universum loquitur de *τῷ ἀφανίσαντι*, sed de se; tum *ἄν* per compendium Ā scriptum (cf. Cobet in V. L. passim) ante *ἀφανίσαντι* excidit. Denique pro *ποιήσαντι* certa est emendatio Kayseri *περιποιήσαντι*. Compendium Π (= *περι*) ante Π omissum aut in T mutatum est.

Locus igitur totus sic scribendus: *νῦν δὲ πάντας ἂν ὑμᾶς ἐβουλόμην περὶ ἐμοῦ ταύτην τὴν γνώμην ἔχειν, ἵν' ἡγῆσθέ με σκοπεῖν, εἴπερ τοιούτοις ἔργοις ἐπεχείρουν, καὶ ὅ τι κέρδος ἐγένετ' ἂν ἀφανίσαντι καὶ ἥτις ζημία περιποιήσαντι, κ. τ. ἑ.* - Postremis (vid. supra) amplius exsequitur illa *ἐγένετ' ἂν ἀφανίσαντι.* Loco sic scripto non est quod quis cum Doct. Halbertsma de inanibus ambagibus verborum queratur.

Excidisse aliquid videtur sub finem § 14: οὗτος μέντοι οὐκ ἂν ἔχοι ἀποδεῖξαι — οὐθ' ὡς (ὁ σηκὸς) ἀμπέλοις ἐμποδὼν ἦν, οὐθ' ὡς οἰκίας ἐγγύς, οὐθ' ὡς ἐγὼ ἄπειρος τῶν παρ' ὑμῖν (ὑμῶν?) κινδύνων, εἴ τι τούτων ἔπραττον πολλὰς ἂν καὶ μεγάλας ἐμαυτῷ ζημίας γενομένας ἀποφήναιμι· ὃς πρῶτον μὲν μεθ' ἡμέραν ἐξέκοπτον τὸν σηκόν. His primum demonstrat nullam sibi causam peccandi fuisse (— κινδύνων), tum singula, quae ab accusatore obiecta sint, parum per se probabilia esse, nec se interdiu excidisse truncum, nec id per servos se facere potuisse, nisi admodum hebes videri vellet. Sed duae illae demonstrationis partes non apte distinguuntur. Transitu opus est, quem restitues inserto ἔπειτ' ante εἴ τι. Ita verba haec novam incipiunt periodum. Praeterea aliquid requiritur, quo τούτων (i. e. horum, quae singula mihi obiicit) magis definiatur (ὧν ὅδε λέγει vel sim.). — Vocabulum ζημίαις sane ἀκύρως positum videtur; significant enim haec πολλὰς — ἀποφήναιμι: „valde meae ipsius causae me nocuisse demonstrarem;" nam de *detrimento* aut *damno* in proximis non agitur; nec de *culpa* vocabulum accipi potest, quum accedat γενομένας. Posuit ζημίαις ut demonstratio sibi constaret. Cf. § 18.

Non hac tantum sectione sed alibi quoque in hac oratione quaedam exciderunt, veluti § 39: ἐγὼ μὲν [ἐγνωκέναι] ὑμᾶς ἡγοῦμαι, ὅτι Νικόμαχος, κ. τ. ἑ, ubi Hamakerus vidit desiderari ἐγνωκέναι. Supra § 2 οἰόμενοι ἐμοὶ μὲν ταύτην τὴν αἰτίαν ἀπορωτάτην εἶναι ἀποδεῖξαι restituendum videtur [ψευδῆ] ἀποδεῖξαι, ubi alii correxerunt ἀπελέγξαι. Sect. 25 καὶ τὴν πατρίδα in MSS. omissa sunt.

§ 23. εἰ μὲν παρέσχετο μάρτυρας, τούτοις ἂν ἠξίου πιστεύειν, ἐπειδὴ δ' οὐκ εἰσὶν αὐτῷ, ἐμοὶ καὶ ταύτην τὴν ζημίαν οἴεται χρῆναι γενέσθαι. Omittendum τήν ante ζημίαν „hoc quoque mihi damno esse cupit." (Ταύτην per attractionem generis pro τοῦτο.) Tam testimonia, inquit, quam defectum testium mihi exitiosum esse vult; quod ipse testes non habet, mihi vitio datur. Cf. § 21, sub f. Paulo post οὐ γὰρ δήπου συκοφαντῶν ἅμα τοιούτων γε λόγων ἀπορήσει καὶ μαρτύρων (μαρτυριῶν?) ut

sua vis constet vocabulo ἅμα legendum τε pro γε et ἅμα ad sequentia referendum „non enim, dum calumniatur, simul et talibus (calumniae aptis, cf. Soph. Ai. 218 et infra 12. 41) verbis et testimoniis indigebit" i. e. tanto magis calumnias cumulabit, quanto minus testium habet. Ἅμα ex Bekkeri coniectura est pro ἄλλα. Εὐπορήσει, quod Cobetus praefert, fateor me non intellegere.

§ 24. Vocabulum πυρκαϊαί alii interpretantur officinas olearias, cum quo non convenit ἀφανίσαι καὶ ἐκκόψαι καὶ ἐπεργάσασθαι; alii silvas olearum, quarum lignum cremetur; sed quotannis non amplius duas licebat oleas excidere secundum Demosthenem 43. 71; ad lignationem igitur non facile quis plures habebat silvas; alii ramusculos, qui pullulant e trunco combustae arboris; sed multis locis oleas ab hostibus fuisse per proterviam combustas nusquam traditur, nec per se probabile (de singulis his interpretationibus cf. Reisk., Rauchenst. p. 171, Rost. et Palm. in lex. i. v.). Vocabulum quod *incendium* significet, haec posse denotare, etiam per se parum probabile est. Conieci μυρίας ἐλάας, vel μυρίας δ' ἐλάας. ΠΥΡΚΑΙΑΣ et ΜΥΡΙϾΛΑΙΑΣ (nam sic omisso compendio syllabae ας scriptum fortasse fuit) vides non magnopere inter se differre.

§ 27. Πότερον δέ μοι κρεῖττον ἦν, ὦ βουλή, δημοκρατίας οὔσης παρανομεῖν, ἢ ἐπὶ τῶν τριάκοντα; καὶ οὐ λέγω ὡς τότε δυνάμενος, ἢ ὡς νῦν διαβεβλημένος, ἀλλ' ὡς τῷ βουλομένῳ τότε μᾶλλον ἐξῆν ἀδικεῖν ἢ νυνί. Pro ἐξῆν emendationem Dobrei, ab Hamakero collato 12. 2 commendatam, dudum receptam oportuit. Quae sententia inesse debeat in verbis καὶ οὐ λέγω et sqq. perspexit Reiskius vertens: „quod ego dictum ita nolim „accipi, ac si illis dominantibus multum potuissem, nunc „iaceam, invidia atque contemtu perculsus"; illud enim ante omnia deprecatur, ne videatur triginta virorum amicus fuisse, nunc vero populari imperio infensus. Sed διαβεβλημένος obscurum est et ambiguum, nisi addatur dativus ὑμῖν aut τῷ δήμῳ; sine quo additamento facile acciperetur pro: *calumnia*

*petitus*, quod plane alienum est. Non minus ambiguum est *δυνάμενος*, quod suppleri non potest per *παρανομεῖν*, nisi velis ipsum auctorem sibi obloqui (cf. *ὡς τῷ βουλομένῳ τότε ἐξὸν ἀδικεῖν*); itaque dictum erit absolute pro *μέγα δυνάμενος*. Quid ex his *ἀμφιβολίαις* auctori sit imputandum, non definio. Sed illud duplex *ὡς* utique mihi de vitio suspectum; mallem *ὡς τότε δυνάμενος, ἢ καὶ νῦν ὑμῖν διαβεβλμένος.*

§ 28. *ἐν ᾧ δένδρον μὲν οὐδὲ ἕν ἐστι, μιᾶς δ' ἐλάας σηκός, ὡς οὗτός φησιν εἶναι.* Postremum vocabulum eiiciendum puto.

§ 37. *ἡγούμενος μετ' ἐμοῦ εἶναι* (non ferendum; Cobetus *πρὸς ἐμ. ε.*) *καὶ ἐκ βασάνων καὶ ἐκ μαρτύρων καὶ ἐκ τεκμηρίων.* Fortasse pro *μαρτύρων* restituendum *μαρτυριῶν*, ut supra § 21.

### VIII. ΚΑΤΗΓΟΡΙΑ ΠΡΟΣ ΤΟΥΣ ΣΥΝΟΥΣΙΑΣΤΑΣ ΚΑΚΟΛΟΓΙΩΝ.

Oratio octava habita est aut habita fingitur in sodalitio quodam. Accusator conqueritur de iniuriis, quibus se laesum dicit ab amicis, qui in iudicio adsint. Sed hae partim ex eo sunt genere, de quo in iure contendi non possit. Sunt etiam admodum insulsae. Nam apparet ex priore parte orationis voluisse illos amicos renunciare amicitiam accusatori; maluisse autem sensim illum missum facere, quam ad apertas inimicitias progredi. Quod dum parum ille intellegit, incusat ignaviam eorum, qui palam amicitiam ipsi renunciare non ausi sint. Talibus per edictum quoddam aut iudicium mederi velle hominis est rerum humanarum ignari. Et quod sub finem orationis fortiter valedicit infidis amicis cum orationis habendae consilio parum convenit; nihil enim si voluisset nisi missos facere improbos amicos, nulla oratione opus fuisset; contra si purgare se coram fidis amicis constituisset, horum animos reconciliare eum oportebat non inanibus querelis, sed calumnia refellenda; sed nusquam calumniae capita, nusquam quid tandem sibi obiectum sit diserte dicit.

In altera parte (inde a § 10) agitur de equo oppignerato;

accusator se induci ab amico Diodoro passus erat, ut equum, quem pignoris loco accepisset, redderet, quod dubium non esset, quin debitor, Polycles, pecuniam nihilo minus esset soluturus; postea Diodorus iuste debitam esse pecuniam negaverat; cumque ea res ad arbitros esset delata, consensu amici isti accusatori adversati et patronis eum privare conati erant (— § 13). Perplexa sunt et haec et quae de Thrasymacho dicit, quem quoniam fideli erga accusatorem esset animo, videntur suspicionibus implicare voluisse (— § 16). Sed in nulla re satis diu versatur, quamvis insint Gordiano nodo intricatiora, quae tamen ita strictim tanguntur ut vel optime emendata in illa brevitate perspicua esse posse non videantur.

Redolet ludum rhetoris et sub pulvere scholastico sana mens subinde plane absconditur. Putidum est, ut hoc utar, quod § 8 propter duas causas nomen delatoris se non denunciaturum sodalibus esse dicit, ex quibus prior est quod sciant iam! Non possum non ineptum dicere quod § 4 legitur: *οὐδ' ἂν ὑμῖν ἐπικαλῶν, ὅ τι ἐλέγετε κατ' ἐμοῦ, ταὐτὰ λέξαιμι· καὶ γὰρ ἂν ἀπολύοιμι τῆς αἰτίας ὑμᾶς, εἴπερ ὑμῖν ταὐτὰ λέγοιμι ὑπὲρ* (MS. *περί*) *ἐμαυτοῦ.* „Vos „ego culpa liberarem, si ea verba ad me defendendum re„peterem"; quasi vero, qui alienas calumnias narret, macula se polluat, et qui reprehendat aliorum verba maledica, quum ea pronunciat, eiusdem culpae affinis sit. Inanis est copia verborum § 9: *ξυμβαίνει γὰρ ταῦτα τοῖς πρὸ τοῦ, καὶ ἐμοὶ σημεῖα ταῦτα ἐκείνων ἐστίν, ἐκεῖνα δὲ τούτων ἱκανά.* Sannione dignum est § 19: *ἐπειδὰν ὑμῖν ἐγὼ μὴ ξυνῶ, πρὸς ὑμᾶς αὐτοὺς τρέψεσθε, κἄπειτα καθ' ἕνα ἕκαστον ὑμῖν αὐτοῖς ἀπεχθήσεσθε, τὸ δὲ τελευταῖον ὁ εἷς ὁ λειπόμενος αὐτὸς αὑτὸν κακῶς ἐρεῖ.* Quod aliquam habet similitudinem cum 7. 11; sed potest ex affectatione coloris Lysiaci fluxisse. Ita etiam iudicandum esse videtur de argumentis, quibus utitur scriptor § 6 et § 8; quae a Lysiae ratione non aliena sunt; priore loco, pudebat vos, inquit, aperte renunciare mihi ami-

citiam; εἰ δ' αἰσχρὸν ἡγεῖσθε τοῦτο, πῶς αἰσχρὸν ἦν ὑμῖν ξυνεῖναι (sc. ἐμοί) πρὸς ὃν οὐδ' ἀπειπεῖν καλὸν ἡγεῖσθε; Altero loco, qui admodum turbatus est, haec pellucet sententia: falso dicitis vos alienum a me animum meis necessariis aperuisse, qui verba vestra ad me deferrent; nam pulcrum sane inventum vestrum fuisset, si omnes adissetis, ipsi declarantes vos improbis sponte amicis uti. (De sententia cf. Bake, Schol. Hypomn. II. p. 231 sq.; verba nemo praestare potest). Haec igitur Lysiam non dedecerent; sed in reliquis nullam laudem habet oratio; nec facile credo, ad tam exile argumentum pertractandum bonum oratorem habuisse stilum venalem. Profecto si in ἑταιρείαις talia dici moris fuisset, non multum hae in civitate valuissent. Sophistas haec decent, qui in argumentis moleste atque operose conquisitis suum iactabant ingenium; quibus si adnumerandus esset Lysias, de auctore non dubitaremus. Nec video, quomodo haec oratori nostro vindicari possint, nisi statuas ab adolescente orationem compositam esse, quo tempore in Italia sophistis operam daret, et nondum illam sanitatem et tenuitatem attigisset, quam veteres postea in eo admirati sint. Nititur sane haec res in coniectura, sed tamen sic magis intellegeretur, quomodo Plato in Phaedro ineptam orationem cum quadam specie veri ei adscribere potuisset.

Non desunt qui orationem Lysiae abiudicent. Cf. Scheibe in argum. et Benseler, de hiatu (secus atque in aliis orationibus hic vitato) p. 183. Non veram orationem sed declamationem esse cum alia arguunt tum § 11: καὶ ἐγὼ μὲν ᾤμην φιλοσοφοῦντας αὐτοὺς περὶ τοῦ πράγματος ἀντιλέγειν τὸν ἐναντίον λόγον.

De singulis locis pauca habeo monenda, multo plura afferre possem, si ludere vellem in verbis propemodum desperatis.

Sectione 1 haec leguntur: πάρεισι μὲν γὰρ οἷς ἐπεγκαλῶ (fort. ἐγκαλῶ), πάρεισι δ' ὧν ἐναντίον ἐπιθυμῶ μέμψασθαι τοῖς ἀδικοῦσιν ἐμέ. καίτοι πολλῷ πλείων ἐστὶ σπουδὴ πρὸς τοὺς παρόντας· τοὺς μὲν γὰρ οὐδὲν οἶμαι τιμήσειν, εἰ τοῖς ἐπι-

τηδείοις ἀνεπιτήδειοι δόξουσιν εἶναι —, τοῖς δὲ βουλοίμην ἂν δόξαι μηδὲν ἀδικῶν τούτους ὑπὸ τούτων ἀδικεῖσθαι πρότερον (fort. πρότερος). Non verum esse posse πρὸς τοὺς παρόντας quisque videt; universi adsunt, tam qui accusantur, quam amici, qui nunc iudices sunt. Fortasse olim lectum fuit πρὸς τούτους, pro quo perversum interpretamentum τοὺς παρόντας substitui facile potuit; nam haec verba sic lecta aliquam habebant obscuritatem, quod τοὺς μέν non pertinet ad eosdem (τούτους) sed ad remotiores (οἷς ἐγκαλῶ); in pronunciando tamen, δεικτικῶς dicta, nullam poterant habere. De proximis nihil opus est multa virorum doctorum tentamina commemorare; legendum puto τοὺς μὲν γὰρ οὐδὲν οἶμαι προτιμήσειν, *minime curaturos*. Nota sunt illa: ὁπότερον ἂν νῷν ἴδῃς Κλαύσαντα πρότερον ἢ προτιμήσαντά τι Τυπτόμενον, εἶναι τοῦτον ἡγοῦ μὴ θεόν, Ar. Ran. 638. Οὐδὲν προτιμῶ σου, Plut. 883.

§ 2. ὅταν ἐναντίον τῆς ἐλπίδος κακῶς πάσχω. Mirum illud ἐναντίον τῆς ἐλπίδος ferri posse videtur si κακῶς omittatur.

§ 4. Καίτοι οὕτως ἐνοχλεῖ, ὥστε περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι, καὶ μᾶλλον ἐμοῦ κατειπεῖν. Postquam in superioribus omnes incusati sunt amici, subito ad singularem transitur numerum. Casu vix fieri potuit, ut tria deinceps verba ἐνοχλεῖ, ἐποιήσατο, ἔλεγε eadem ratione depravarentur; nec tamen correctionis ulla ratio aut causa apparet, cum subiectum desideretur, quo haec singulari numero enunciata referantur, et pluralia multo faciliora sint ad intellegendum. Quare subiectum excidisse opinor, quod restitui potest mutato καίτοι in καί τις. Consequens est ut pro ἐνοχλεῖ scribatur ἠνώχλει; id necessarium fere est propter ἐποιήσατο. Illum amicum dicit eo sibi taedio fuisse, quod speciem amicitiae praetexeret, idque adeo maiore studio faceret, quam reliqui accusarent. In hanc sententiam proxima dicta fuisse puto, quae ab Emperio, Bakio, Reiskio diversis rationibus emendati sunt. Post περὶ πλείονος ἐποιήσατο alterum quod dicitur membrum comparationis abesse non posse

videtur, quoniam nec a lectore id facile suppletur, nec *περὶ πλείονος* simpliciter pro *περὶ πολλοῦ* potest usurpari. Propterea nec cum Emperio facio emendanti *καίτοι οὗτος, ὃν ἐνοχλεῖν ᾤεσθε π. π. ἐπ. δοκ. ἐμοῦ κήδεσθαι καὶ μᾶλλον ἐμοὶ κατεῖπεν*, nec cum Bakio restituenti *καίτοι οὐ τούτοις ἐνοχλῶ οἳ π. π. ἐπ. δοκ. ἐμοῦ κήδεσθαι μᾶλλον καὶ ἐμοὶ κατεῖπον.* Reiskii autem emendatio: *ἢ ἄλλων πρὸς ἐμὲ κατειπεῖν* oppositione iusta caret; nam ii ipsi qui volebant videri amici, facile alios apud accusatorem denunciavissent. Melius certe se haberet: *ἢ πρὸς ἄλλους ἐμοῦ κατειπεῖν.* Sed propius ad librorum accedit lectionem: *ἢ οἱ ἄλλοι ἐμοῦ κατειπεῖν*, ut sententia sit: „pluris fecit hic ut videretur mihi „bene velle, quam reliqui (fecerunt) ut me accusarent." Pluris iste faciebat falsam amicitiae speciem quam reliqui calumnias. — De iis, quae sub finem huius sectionis leguntur superius actum. Proxima sectione *ἐφάσκετε — πάντα ποιοῦντες οὐκ ἔχειν ὅπως ἀπαλλαγῆτέ μου* scribendum *ἀπαλλαγεῖτε.*

§ 11. *Καὶ ἐγὼ μὲν ᾤμην φιλοσοφοῦντας αὐτοὺς περὶ τοῦ πράγματος ἀντιλέγειν τὸν ἐναντίον λόγον.* Scheibius ex coniectura dedit *ἀντιλέξειν*, sed ea mutatione non opus est. Quum isti amici obloquerentur, primo non putabat eos serio dicere, sed ut suam peritiam ostentarent, dicis causa contrariam *tueri* sententiam. Sed in ea opinione deceptus est: *οἱ δ' ἄρα οὐκ ἀντέλεγον ἀλλ' ἀντέπραττον*, „non erat illud obloqui sed „serio adversari."

§ 16. — *καὶ πρὸς ἐμὲ περὶ ὑμῶν αὐτῶν ἐλέγετε κακῶς· ἔπειτα καὶ περὶ Πολυκλέους, ᾧ νυνὶ βοηθεῖτε, πάντ' εἴρηκα πρὸς ὑμᾶς.* Pro *ἔπειτα καί* legendum puto *ἐπεὶ καὶ τά*: „nam de „Polycle etiam, cui nunc opitulamini, omnia vobis dixi"; nimirum illi vos fuisse infensos, quum amicum diceretis. Hinc fortasse de sententia loci conclamati § 11 aliquid effici potest: *καίτοι σφῶν γε αὐτῶν* (libri *καίτοιγε ἐφ' ὧν γε αὐτῶν*) *κατηγόρουν. εἰ γὰρ ἃ μετὰ τούτων ἀδικουμένῳ μοι μηδὲν ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἢ που καλῶς συνέπραττον.* Dixerunt sodales

accusatori quaedam, quae Polycli officerent et reticere eos conveniret communem cum Polycle causam agentes; post illa *σφῶν γε αὐτῶν κατηγόρουν* pergendum erat sic fere: nam Polycli etiam calumniati sunt. Iam satisfacere fere posset: *εἰ γὰρ εἶπον ἐμοί, ἃ μὴ μετὰ τούτων ἀδικουμένου μου μηδὲν ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἦ που καλῶς συνέπραττον,* „nam si dixerunt „mihi, quae nisi cum ipsis simul laesus essem, minime mihi „dicere eos oportebat, pulcre sane Polycli opitulabantur." In quo forma condicionalis non incertam rem significat, sed de re usurpatur minime dubia (quasi dicas: si verum est, si minime dubium est, eos dixisse mihi). Sed pedem ex his salebris retrahere praestat.

## IX. ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΣΤΡΑΤΙΩΤΟΥ.

Mutilam esse orationem *ὑπὲρ τοῦ στρατιώτου*, qua se defendit Polyaenus de mulcta non soluta, ex ipso perspici prooemio potest, in quo se dicturum promittit quae in sequentibus desiderantur. Vellem, inquit, de moribus meis tacere mihi liceret; *διαβαλλόντων δέ με τῶν ἀντιδίκων ἀναγκαῖόν ἐστι περὶ πάντων τὴν ἀπολογίαν ποιήσασθαι.* Sed nihil de vita ipsius ante acta legitur nisi quod potestate, quam sibi per Sostrati cuiusdam familiaritatem peperisset, non abusus esset vel ad inimicos laedendos vel ad amicos iuvandos, § 14. Tamen multo plura crimina quam istam amicitiam in eum congessisse adversarios, quorum tota ratio a capite causae deflexa in insectanda rei vita constitisset, non dubium' est. Porro contra oratorum consuetudinem a directa interrogatione incipit: *τί ποτε διανοηθέντες οἱ ἀντίδικοι τοῦ μὲν πράγματος παρημελήκασι τὸν δὲ τρόπον μου ἐπεχείρησαν διαβάλλειν;* ubi *mirandi* verbum et iudicum compellationem desidero. Sectione 12 omissa esse verba *οὐδέ* et *εὐθύνας*, hodie in confesso est et § 14 ante *τὴν μὲν οὖν ὀργὴν* quaedam excidisse Scheibio assentiendum videtur. Et fortasse § 1 idem accidit post *λήσειν* (*λήσειν ἀδικοῦντες*?).

Sed, ut fit, etiam ad explendum si quid deesse immerito videbatur, quaedam interpolata sunt. Iure haesit Dobreus in § 6: *ἀπαγγείλαντός τινος ὡς ἐγὼ λοιδοροῖμι* (sic) *τοῦ νόμου ἀπαγορεύοντος, ἐάν τις ἀρχὴν ἐν συνεδρίῳ λοιδορῇ, παρὰ τὸν νόμον ζημιῶσαι ἠξίωσαν*, in quibus delenda censebat *ἐὰν — λοιδορῇ*, utpote ex § 9 huc tracta. Sectione 2 haec leguntur: *ὅτι μὲν οὐκ ἐμοῦ καταφρονήσαντες ἀλλὰ τοῦ πράγματος τοὺς λόγους ποιοῦνται, σαφῶς ἐπίσταμαι.* Parum decebat eum, qui demonstrare vellet, privatas inimicitias causam fuisse accusationis (§ 10), dicere, persuasum sibi esse, non odio se haberi; et tamen totidem verbis hoc ille testatur, non dicens *ὅτι μὲν οὐ τοσοῦτον ἐμοῦ καταφρονήσαντες ὅσον τοῦ πράγματος*, sed praefracte *οὐκ ἐμοῦ καταφρονήσαντες.* Si velliceris ab aliquo et tamen dicas confidere te, non laedendi animo crimina ab adversario proferri, animum ostendis ad reconciliationem pronum, quod ab orationis consilio plane abhorret. Exspectes potius tale quid: *ὅτι μὲν οὖν ἐμοῦ καταφρονήσαντες καὶ τοῦ πράγματος κατολιγωρήσαντες τοὺς λόγους ποιοῦνται, σ. ἐ.* Quod a lectione recepta multum recedit. Incidi in eam opinionem, ut verba transitum constituisse putem ad sequentia, quae sunt: *εἰ μέντοι ὑμᾶς οἴονται — καταψηφιεῖσθαί μου οὐκ ἂν θαυμάσαιμι*; *Οὐκ* enim (ante *ἐμοῦ*) natum ex *οὖν*, qua facta mutatione alius librarius adscripsit *ἀλλὰ τοῦ πράγματος.* Quare sic olim scriptum fuisse existimo: *ὅτι μὲν οὖν ἐμοῦ καταφρονήσαντες τοὺς λόγους ποιοῦνται σαφῶς ἐπίσταμαι· εἰ μέντοι ὑμᾶς οἴονται δι' εὐήθειαν* (Dobreus pro *εὔνοιαν*) *ὑπὸ τῶν διαβολῶν πεισθέντας καταψηφιεῖσθαί μου, οὐκ ἂν θαυμάσαιμι*;

Insunt praeterea quae parum Attica et insolentia videantur. *Ἐντός* § 10 pro *ἔνδον* positum notavit iam Dobreus. Eodem loco *ἄνευ τούτου*, ut vulgo interpretantur suppleto *τοῦ νόμου* pro *παρὰ τὸν νόμον*, quo exemplo defendam nescio; melius sane Augerius interpretatur *ἄνευ τοῦ ἠδικηκέναι τινά*, vel sic tamen hoc insolens est. *Δικαίωσις* pro *δικαίωμα*, *argumentum* iam animadvertit Harpocratio i. v.; idem affertur e Zonara

in lex. et ex Crameri Anecdd. II. p. 493. 2. Sectione 14 de civis et amici potestate in libera civitate utitur invidioso δυναστείας vocabulo. Sectione 17 legimus τὸ πέρας, *tandem* pro πέρας, quod Atticum esse hac una auctoritate statuunt; quae sententia quam infirmo tibicine nitatur intellegent, qui reputarint, in proximis superioribus τὸ τελευταῖον inveniri, ut non improbabile sit τὸ πέρας esse interpretamentum. Sed ipsi sine dubio auctori debetur, quod § 4 de re minime obscura aut occulta verba usurpat αἰσθόμενος δὲ τὸ πραχθέν, quasi casu nota esset; sed iam miles scriptus erat (πραχθέν non πραττόμενον) eaque res reo indicaretur necesse erat. Neque miror Reiskium erravisse in interpretatione verborum quae paulo post sequuntur: κἀμοὶ μὲν τὰ προειρημένα διείλεκτο ἐπὶ τῇ Φιλίου (an Φιλέου; nomen est foeneratoris) τραπέζῃ, quae ille explicat: εἴρητο ἐν τῷ διαλέγεσθαι μετὰ τῶν φίλων, quum deberet εἶπεν ἐκεῖνος ὁ πολίτης ἐμοὶ διαλεγόμενος. Sed errori veniam conciliat obscuritas scriptoris subiectum omittentis. Quod § 20 legitur: παρ' ὑμῶν στερηθεὶς τοῦ δικαίου defendi ad 3. 37; nihilo minus ea iunctura satis est rara.

Si de verbis μετὰ Κτησικλέους τοῦ ἄρχοντος § 6 constaret, certo affirmare liceret, orationem esse Lysia recentiorem. Nam Ctesicles Archon fuit Ol. CXI. 3 (334/3), quo anno Lysias iam obierat. Hoelscherus ἄρχων ibi positum putat pro stratego; at sic certe ambigue admodum orator dixisset. Praesentiori remedio usus Bakius verba τοῦ ἄρχοντος omittenda putat, quod etsi multo praeferendum videatur, quod ab initio de stratego sermo est (§ 4) et in sequentibus archontum nulla diserta mentio exstat, porro minime dubium est, quin nullo archontum interventu opus fuerit, et strategi convicio laesi ἐπιβολῆς imponendae potestatem habuerint, tamen ut assensum cohibeam facit tam mentio ἀρχείου § 9, ubi si de strategis solis ageretur commemorandum erat τὸ στρατηγεῖον, quam tota huius orationis natura et ratio. Insunt enim et alia, quae cum iure Attico pugnant. Nam quod dicit τοῦ

*νόμου διαῤῥήδην ἀγορεύοντος τοὺς ἐν τῷ συνεδρίῳ λοιδοροῦντας ζημιοῦν ἀκηκόατε* pugnat cum Demosth. in Midiam § 33: *καὶ πάλιν γε τὸν ἄρχοντα ταὐτὸ τοῦτο, ἐὰν μὲν ἐστεφανωμένον πατάξῃς ἢ κακῶς εἴπῃς, ἄτιμος*, non quod alter *ἐν συνεδρίῳ*, alter *ἐστεφανωμένον* dicat non licere laedi magistratum; utrumque enim referendum ad ea opprobria quae fiunt in muneris functione (in qua interpretatione sciens dissentio a Bakio et Hoelschero), sed propter poenae discrimen. Nam si lege usi fuissent, quae est apud Demosthenem, archon et strategi non mulctam irrogavissent, sed infamia notandum Polyaenum curassent. Porro parum probabile est *ταμίας*, quibus provincia erat exigendi pecuniam aerario debitam, ius habuisse arcessendi strategos, ut hi suum factum ipsis probarent, si vellent mulctam iure impositam exigi, in quo merito offendit Bakius p. 245 sqq. Itaque ne plura addam (de § 17 vid. infra) contra leges irrogatur mulcta; contra leges inferior magistratus maiorem causam apud se dicere cogit; quis spondere audeat non similiter contra legem auctorem credidisse, non solos strategos, sed strategos praeside aut ad eos referente archonte poenam inflixisse; tota ratio iudicii a legitima aliquantum differt.

Nondum igitur mitto argumentum quod contra *γνησιότητα* orationis ex archontis Ctesiclis mentione petitur, quum praesertim Ctesiclis anno expeditionem, de qua legitur apud Dem. 17. 20, ab Atheniensibus constitutam nec tamen effectam esse probabiliter ostendat Schaefer, Demosthenes u. seine Zeit, III. p. 162, quemadmodum ne Polyaenus quidem in nostra oratione post delectum militasse dicitur. Si porro constat, in hac oratione quaedam inesse, quae Atticis genuinis aut inusitata aut insolita sint, si nemo dubitat, quin in syllogen Lysiacarum orationum etiam alienae illatae fuerint, nihil temere in verbis mutandum puto, ut possit haec oratio Lysiae vindicari. Omnino non dubitari potest, quin collectio orationum aliquanto post oratoris mortem sit facta; syllogen enim ab ipso relictam non habere nos, ostendit quod insunt quae omnium

consensu spuriae habentur. Igitur orationes eius aliquamdiu fuerunt dispersae. Iam vero mirum et paene incredibile esset, si non multae postea, quum collectio institueretur, alienae irrepsissent. Gloriabantur facile qui causam dixerant aut eorum posteri orationes habitas a se aut conservatas Lysiae esse; et certo iudicare, quid Lysiae, quid aliorum aequalium colorem et ingenium referret, criticam postulabat facultatem maiorem quam illi aetati concedi potest. Fieri non poterat quin veteres critici in conquirendis et digerendis quadringentis et amplius orationibus, quae Lysiae ferebantur, subinde errarent. Itaque remanebat saepe apud prudentes existimatores dubium de auctore nonnullarum orationum; unde Harpocratio saepe, inscriptione commemorata, εἰ γνήσιος addit; veluti de hac oratione v. δικαίωσις legimus: Λυσίας ἐν τῷ περὶ στρατιώτου, εἰ γνήσιος [καὶ μάλα] τὰς δικαιώσεις φησὶν ἀντὶ τοῦ δικαιολογίας, in quibus verba καὶ μάλα addita sunt a librario, dissentire se a iudicio Harpocrationis significante.

Satis multa pro ambitu modico orationis mihi attulisse videor, quae suspicionem moveant; tamen pauca etiam ex annotatione infra scripta addi poterunt.

§ 10. ἔχθρᾳ δ' ἄνευ τούτου (cf. supra) παραλόγως ζημιωθείς. Παραγώγως in libris suis invenit Augerius, itaque olim editum erat. Ipse primus et Reiskius ediderunt παραλόγως. De Palat. tacet Scheibe, sed si vel maxime hic habeat παραγώγως, tamen παραλόγως legitima lectio est, quod alterum nihili est et ductibus litterarum παραλόγως ab eo parum differt. Παραλόγως tamen apud Atticos rarum. Quod sciam invenitur tantum apud Demosth. c. Aphob. I. (27) 68: δίκαιοι δ' ἔστ' ἐλεεῖν οὐ τοὺς ἀδίκους τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ τοὺς παραλόγως δυστυχοῦντας, ubi oppositionis ratio postulat fere παρανόμως. Apud Thucydidem I. 140, IV. 55, 56 cessit lectioni bonorum codd. παρὰ λόγον. Sed non sollicitandum videtur apud Xenoph. de Vect. 5. 2: παραλόγως σκοποῦσιν, *temere ratiocinantur*, ubi ex coniectura repositum est pro παρ'

*ἀγγέλλω*, depravatione non absimili a nostro loco. Apud Xenophontem quum sententia non ferat *παρανόμως*, utroque autem loco litterarum ductus non *παρὰ λόγον* sed adverbium monstrent, fortasse hoc *παραλόγως*, *temere*, *iniuria* erit ferendum, ut in Epistola Philippi, quae fertur inter Demosthenica 12. 18, et apud recentiores.

§ 11. *συνέγνωσαν δὲ καὶ αὐτοὶ σφίσιν ὡς ἠδικηκότες* (nempe Ctesicles cum suis) — *εἰ δ' οὖν ἐζημίωσαν μὲν οἴδε προσηκόντως, ἐκύρωσαν δ' ἐν ὑμῖν τὴν ἐπιβολήν, τῶν ταμιῶν ἀφέντων, εἰκότως ἂν τοῦ ἐγκλήματος ἀπηλλαγμένος εἴην· εἰ μὲν γὰρ κύριοι ἦσαν πράξασθαι ἢ ἀφεῖναι, οὐδ' ἐννόμως ζημιωθεὶς εὐλόγως ἂν ὤφειλον· εἰ δ' ἔξεστι μὲν αὐτοῖς ἀφεῖναι, διδόασι δὲ λόγους ὑπὲρ ὧν ἂν διαχειρίζωσιν, εἴ τι ἠδικήκασι, τῆς προσηκούσης ῥᾳδίως δίκης τεύξονται.* In his recte a viris doctis emendata sunt: *ἀπηλλαγμένος εἴην* pro *-οι εἶεν*, *οὐδ' ἐννόμως* pro *ἐννόμως*, *διδόασι δὲ λόγους* pro *δ. δὲ αὐτούς*; et fortasse praeterea *διαχειρίσωσιν* cum Bakio restituendum (*quae identidem constituerunt*). Sed postrema *εἰ δ' ἔξεστι κ. τ. ἑ.* nondum sanata sunt. Tota ratiocinatio huc redit, ut appareat Polyaenum culpa, quod non solverit, liberum esse, quod quaestores (*ταμίαι*) sive iure sive iniuria mulctam ei remiserint; quid illi ex lege facere potuerint non esse ipsius iudicii; culpam, si qua sit, in se suscepisse eos, cuius poenas, si ita Atheniensibus videatur, in *εὐθύναις* exigere possint. Igitur verbis *εἰ μὲν γὰρ κύριοι ἦσαν* et *εἰ δ' ἔξεστι* dilemma continetur; ponuntur contraria: si licuit, si minus licet. Scripsit auctor: *εἰ δ' ἔξεστι μὲν μηδὲν αὐτοῖς ἀφεῖναι.* Pro vulgari *εἰ δὲ μή* dedit *μηδέν*, condicionem proponens minus veri similem quam necesse erat, sed ut significaret *utique*, quidquid statuatur, nihil factum quaestorum posse civitati obesse. Non satis assequor, quae Bakius p. 252 de hoc loco monuit. Reo erat ostendendum *ἀπογραφήν* iniuria esse in se institutam; num mulcta a Ctesicle iure ei imposita esset, secundaria erat quaestio; in eo cardo rei vertebatur, num quaestoribus mulctam sive iure sive iniuria remittentibus obsecutus Polyaenus

deliqnisse videretur, quod non solvisset, et propterea eius bona publicari possent. Per δ' οὖν, ut vulgo, significatur omitti iam ulteriorem disputationem de re dubia, quoniam iam ex superius positis, certis illis et minime dubiis, ratio concludi possit; aut omnino alia superesse certiora ad quae transeundum sit. Non igitur assentiri possum viro praestantissimo p. 253 contendenti propter εἰ δ' οὖν necessario sequi debere conclusionem, quae e proxime praecedentibus ducatur. Interpretor (inde ab εἰ δ' οὖν): „quod si vel maxime hi me iure mulctassent et in vestra contione mulctam „confirmandam curassent, tamen ego, remittentibus quaesto„ribus, iure (propter hanc remissionem) culpa essem liberatus. „Nam si erat arbitrii ipsorum (quaestorum) exigerentne an „remitterent, ne si ex lege quidem (a strategis) mulctatus „essem, nunc merito deberem (quaestorum esset culpa); sin „nihil licet iis remittere, sed iidem reddendis rationibus „obnoxii sunt, facile iustam poenam incurrent."

In § 15 notandum est τὴν ὀργὴν συνεστήσαντο. Ibidem παρέβησαν τοὺς ὅρκους nove dictum est et studio quaesita ambiguitate; observarant enim strategi iusiurandum, quod delectum habuerant; imo plus fecerant quam exigebatur, nam etiam eos, qui iam militaverant, scripserant milites; hoc igitur non quidem falso, sed malitiose dicit παραβῆναι τοὺς ὅρκους.

In postrema orationis parte inde a sectione 16 deprehenduntur multa aut obscura aut inter se repugnantia. Verba προὔθεσαν δὲ τῷ πλήθει βουλεύσασθαι περὶ τοῦ σώματος, ζημιώσαντες μὲν ὡς τὴν ἀρχὴν λοιδοροῦντα, καταλιγωρήσαντες δὲ τοῦ δικαίου, βιαζόμενοι βλάπτειν ἐξ ἅπαντος λόγου, haec igitur verba ad praesens iudicium spectant. Sed antequam pergo, lubet singula causae momenta in memoriam revocare. 1. Polyaenus miles scribitur sed militiam detrectat. 2. Idem magistratui maledicit, quapropter mulcta (ἐπιβολή) ei indicitur a strategis, aut strategis cum archonte. Hanc mulctam remittunt quaestores. Tum instituunt archon et strategi ἀπο-

γραφήν, ut quoniam civitati iure debitum non solvisset pars bonorum publicaretur. Poterant ex his omnibus duo diversa nasci iudicia nimirum praeter ἀπογραφήν, de qua hac oratione agitur iudicium ἀστρατείας. Igitur de his verbis προὔθεσαν, κ. τ. ἑ. quaeri potest num forte referantur ad superius aliquod iudicium. Sed quae sequuntur ζημιώσαντες — λόγου necessario explicant fusius, quae in proxime superioribus brevius dicta erant. Itaque non possunt haec (βουλεύσασθαι περὶ τοῦ σώματος) referri ad superius iudicium; pertinent ad *mulctam*, de qua nunc *primum* coram populo agitur. Iam explicari fortasse potest, nihilo minus hoc de mulcta iudicium περὶ τοῦ σώματος esse dici, coll. § 21; non potest quod proxime additur: τί δ' ἂν ἔπραξαν μέλλοντες μεγάλα μὲν ἐμὲ βλάψειν, πολλὰ δ' ἑαυτοὺς ὠφελήσειν. οἵτινες οὐδετέρου τούτων ὑπάρχοντος πάντα περὶ ἐλάττονος ποιοῦνται τοῦ ἀδίκου. Nam haec manifeste pugnant, nisi κινδυνεύειν περὶ σώματος videtur levis res (μικρὰ βλάβη). Rursus in sequentibus bis causam dixisse Polyaenus totidem verbis traditur § 18: παραγαγόντες δὲ πάλιν περὶ τῶν αὐτῶν. Et superiore quodam iudicio ἐκ τῆς πόλεως ἐξηλάθη § 17: τὸ δὲ τελευταῖον, νομίζοντες οὐχ ἱκανῶς με τετιμωρῆσθαι, [τὸ πέρας] ἐκ τῆς πόλεως ἐξήλασαν. Et tamen nunc causam dicit et ab *hoc* iudicio pendere testatur, num maneat in civitate § 21. Nolo nimis premere illa verba περὶ τῶν αὐτῶν, ut de mulcta solvenda bis ei dies dictus fuisset, — quod ut sumeremus, reliqua orationis pars non permitteret. Sed fac Polyaenum primum propter ἀστρατείαν condemnatum; qui convenit eum dicere se exilio mulctatum esse? Poena erat ἀτιμία, quam si Polyaenus aequiparavit cum exilio, quoniam commorationem in urbe damnato sibi intolerabilem putabat, tamen nunc ἄτιμος causam dicere non poterat. Et de priore illa condemnatione in causae enarratione plane siletur. Sunt haec omnia, ut lenissime dicam, admodum obscura et ita comparata, ut parva mutatione res resarciri non possit. Nec tales removentur repugnantiae assumta lacuna aut interpolatione.

Quod antequam quis falsum esse demonstret, equidem Lysiae, id est bono oratori hanc orationem adscribere non audeo.

### X. ΚΑΤΑ ΘΕΟΜΝΗΣΤΟΥ Α'.

Oratio prior in Theomnestum ad optimas Lysiae referenda. Theomnestus quod scutum in proelio abiecisset accusatus a Lysitheo ex illo iudicio integer evaserat. Quo eventu iste elatus Dionysium, quem Lysitheus testem adhibuerat, calumniae accusaverat (§ 12, 24, sq., 30), quae res illi, damnato Dionysio nimis cesserat feliciter (§ 21, 22). Ignominia commilitonis accensus nunc surgit in Theomnestum accusator quidam, cuius nomen nescimus, eandemque isti actionem calumniae intendit, quod parricidium ipsi obiecisset. Quod opprobrium ille hac in Theomnestum instituta accusatione evidenter et graviter refellit. Indignationis et iusti plena doloris est oratio, quod qui propter verum crimen ignaviae ipsi obiectum alium in calamitatem proiecisset, sibi licere putet impune multo gravius parricidii opprobrium in adversarium coniicere. „Hancine, inquit (§ 14), tu gratiam refers civitati, quae te e priore „iudicio salvum et integrum dimisit, ut tibi aliis insultan„dum putes?" Acerba sunt illa (§ 23): „cur ego minus „gratiosus sim vobis, iudices? num quod non ego (ut ad„versarius) armis ipse abiectis accuso fortes viros qui serva„verunt?" Gravem haec continent iudicum reprehensionem; nec tanquam supplex petere ab illis dignatur, sed imperare videtur iudicibus. „Bis, inquit, testimonium dixi in Theo„mnestum; nondum enim noveram poenas vos infligere in eos „qui alios arma proiicientes vidissent, ignoscere autem iis, „qui ipsi proiecissent (§ 30)." Prudenter etiam omne perfugium quod ex verbi ἀνδροφόνος interpretatione tentat Theomnestus, praecidit; nam quum lex illum calumniae reum pronunciaret qui alterum ἀνδροφόνον appellasset, obiiceret autem adversarius non eo verbo se usum sese, sed dixisse ἀπεκτονέναι τὸν πατέρα accusatorem, ille prisca verba ex an-

tiquis legibus conquirit, pro quibus recentior consuetudo alia substituat, ut appareat non in verbis haerendum esse, sed in sententia quae iis subsit. In quo rursus acerbe: „an „vero, interrogat, tu, Theomneste, (*nam eam rem tu miri-„fice calles*), aliud esse putas ῥῖψαι τὴν ἀσπίδα, aliud ἀποβε-„βληκέναι?" (§ 9). Omnino altius insurgit oratio, habetque colorem eundem saepe atque duodecima (in Eratosthenem), ut in orationis tenuitate tamen etiam lacerti sint, sic ut fieri possit nihil valentius (Cic. Brut. 16).

§ 1. Penuria testium, inquit, non laborabo, πολλοὺς γὰρ ὑμῶν ὁρῶ δικάζοντας τῶν τότε παρόντων, ὅτε Λυσίθεος Θεόμνηστον εἰςήγγελλε. Sententia manifesto haec requiritur: multos enim eorum, qui tunc aderant, nunc in iudicum subselliis praesentes video. Sed quomodo haec cum verbis conveniat, tacent interpretes. Nam ὑμῶν τῶν τότε παρόντων iungi non possunt; non enim ii qui nunc iudices sedent, tum affuerant omnes. Mihi expellendum videtur ὑμῶν, ut iungatur πολλοὺς τῶν τότε παρόντων (νῦν) δικάζοντας ὁρῶ.

§ 2. Φαῦλον γὰρ αὐτὸ καὶ οὐδενὸς ἄξιον ἡγούμην. Ita ex Emperii sententia nunc pro αὐτόν legitur. Aptius Φαῦλος καὶ οὐδενὸς ἄξιος de homine quam de re dicuntur, quare redeundum puto ad lectionem librorum. Facile ferrem, inquit, si me patrem suum interfecisse criminaretur; eum enim ego abiectum et contemnendum putabam, nimirum dum in vivis erat. Cf. Isae. 2. 43: εἰ οὕτω Φαῦλος δοκῶ εἶναι καὶ μηδενὸς ἄξιος. — § 3 pro περὶ τοῦ πατρὸς τιμωρήσασθαι usus requirit ὑπὲρ τοῦ π., ut 13. 41 et 42, et alibi.

§ 6. ἐάν τις εἴπῃ τὸν πατέρα ἀπεκτονέναι. Iure Augerius ἐάν τίς τιν' εἴπῃ. Nec ad defendendam vulgatam lectionem argumentum peti potest ex § 9: ἐν δὲ τῷ νόμῳ εἴρητο ἐάν τις Φάσκῃ ἀποβεβληκέναι, ὑπόδικον εἶναι, nec ex § 12, nec ex epitome huius orationis (11) § 6, quibus locis ipsa legis verba laudantur.

§ 7. Causabitur nihil se dixisse quod lege prohibitum sit, qua non interdicatur ne quis verbis ἀποκτείνειν τὸν πα-

τέρα utatur; tantum si quis quem dicat ἀνδροφόνον calumniae teneri. Ἐγὼ δ' οἶμαι δεῖν ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες δικασταί, οὐ περὶ τῶν ὀνομάτων διαφέρεσθαι, ἀλλὰ τῆς τούτων (sententia postulat τῶν θέντων sc. τὸν νόμον aut simile quid; epitome τῶν ἔργων § 3 contra sententiam) διανοίας, καὶ πάντας εἰδέναι ὅτι, ὅσοι [ἀπεκτόνασί τινας, καὶ ἀνδροφόνοι τῶν αὐτῶν εἰσι, καὶ ὅσοι] ἀνδροφόνοι εἰσί, καὶ ἀπεκτόνασί τινας. Ita suppletum ex epitome, sed eo locus fit verbosus nimis et perplexus, quod plura probantur, quam necesse erat. Epitomator de suo correxit. Libri habent ὅτι ὅσοι ἀνδροφόνοι εἰσί. καὶ ἀπεκτόνασί τινας, unde legendum ὅτι καὶ, ὅσοι ἀπεκτόνασί τινας, ἀνδροφόνοι εἰσίν. Verba καὶ et ἀπεκτόνασί τινας a loco suo aberrarunt.

§ 9. Εἴ τίς σ' εἴποι ῥῖψαι τὴν ἀσπίδα, ἐν δὲ τῷ νόμῳ εἴρητο, ἐάν τις φάσκῃ ἀποβεβληκέναι, ὑπόδικον εἶναι, οὐκ ἂν ἐδικάζου αὐτῷ, ἀλλ' ἐξήρκει ἄν σοι ἐρριφέναι τὴν ἀσπίδα λέγοντι οὐδέν σοι μέλει· οὐδὲ γὰρ τὸ αὐτό ἐστι ῥῖψαι καὶ ἀποβεβληκέναι. Non recte dicitur, ἐξήρκει ἐρριφέναι τὴν ἀσπίδα. De eo quod quis vix tolerabile sed tamen sibi necessario ferendum putat non dicitur ἐξαρκεῖν, in quo verbo semper cogitatur de re alia numerove maiori, quae quis habere malit aut meliora ducat; proinde in re mala non dicitur. Neque ἐρριφέναι cum λέγοντι coniungi potest. Itaque cum Dobreo abiicio ἐρρ. τ. α.; sed in sequentibus pro λέγοντι substituo λέγειν ὅτι: „tu satis „haberes dicere nihil tua referre, neque enim idem esse „proiecisse scutum et omisisse." Ἀρκεῖ (de verbo personali ἀρκῶ nunc non loquor), ἐξαρκεῖ, ἀπόχρη cum participio loco infinitivi possunt iungi, ita ut ex participio sit eliciendum subiectum, ut Demosth. 47. 52: καὶ ταῦτ' ἔχουσιν οὐκ ἐξήρκεσεν αὐτοῖς nempe ταῦθ' ἃ εἶχον. Hrdt. VII. 148: ἀλλ' ὅμως σφίσι ἀποχρᾶν κατὰ τὸ ἥμισυ ἡγεομένοισι, nim. τὸ ἥμισυ τῆς ἀρχῆς. (Aesch. Agam. 1575: κτεάνων τε μέρος βαιὸν ἐχούσῃ π ᾶ ν ἀπόχρη μοι omnium minime huc pertinet.) Sed tale quid huic loco adhiberi non potest; ferri fortasse posset ἐξήρκει ἄν σοι ἐρρ. τ. ἀ. ἀκούοντι (si dicerere; tali absolutione esses contentus nec meliorem desiderares), non λέγοντι οὐδέν

*μοι μέλει*, in quo manifesto *λέγειν* est res accedens, non ipsum illud quo contentus esset.

§ 12. *οὐκοῦν ἄτοπον ἂν εἴη τὸν δόξαντα* (recte Reisk. pro *δείξαντα*) *κτεῖναι φάσκοντα ἀνδροφόνον εἶναι, ὅτι ὁ διώκων, ὡς ἔκτεινε, τὸν φεύγοντα διωμόσατο.* Si tu, inquit, Areopagi cuidam iudicio capitali adstitisses, non ignorares verba *κτείνειν τινά* et *ἀνδροφόνον εἶναι* idem sibi velle. Nam in eo iudicio accusator et reus de eo contendunt, utrum quis videatur *κτεῖναι*, nec ne; tamen haec iudicia *φόνου δίκαι* sunt, et condemnaretur is qui se *ἀνδροφόνον* diceret. Legendum videtur *οὐκοῦν ἄτοπον ἂν εἴη ἀφεῖναι τὸν δόξαντα κτεῖναι, φάσκοντ' ἀνδροφόνον εἶναι, ὅτι ὁ διώκων ὡς ἔκτεινε διωμόσατο*; Apparet *τὸν δόξαντα κτεῖναι* nunc non esse eum qui a iudicibus iudicatus sit *κτεῖναι*, sed quem manifestum sit caedem commisisse. Is secundum Theomnestum absolvendus esset si *ἀνδροφόνον* se diceret. *'Αφεῖναι*, a Foertschio inventum, quomodo excidere post *ἂν εἴη* potuerit in aprico est. Cf. 21. 16, 19. 21. Postrema dedi omissis *τὸν φεύγοντα*, nam vulgatam qui per prolepsin subiecti interpretantur: *διωμόσατο ὡς ὁ φεύγων ἔκτεινε* (Augerius), durissimam admittunt structuram, quae locis Arist. Av. 653 (*ἔστι λεγόμενον δή τι, τὴν ἀλώπεχ', ὡς φλαύρως ἐκοινώνησεν*), Xen. CP. II. 1. 5, et simm. non defenditur; tum, etiam si tam audax iunctura admitti posset, alius tamen ordo verborum requireretur (*τὸν φεύγοντα ὡς ἔκτεινε.*) Mihi veri similius esse videtur verba *τὸν φεύγοντα* ad *τὸν δόξαντα κτεῖναι* interpretanda adscripta alieno loco inserta esse.

§ 14. *ἐξ ὧν ἀδικῶν οὐ δέδωκας δίκην, οἴει δεῖν πλεονεκτεῖν*; Corrumperemus hunc locum si *σέ* intruderemus, quod eadem libertate omittitur, qua alibi post *δεῖν* et *χρῆναι* constructio sic continuatur ac si illa verba non intercessissent. Xen. CP. V. 2. 17: *οἴονται δεῖν φρόνιμοι καὶ μέτριοι φαίνεσθαι.* Lys. 30. 8: *νυνὶ δὲ περὶ τῶν τῆς πόλεως κρινόμενος οἰήσεται χρῆναι ἐμοῦ κατηγορῶν ὑμῖν μὴ δοῦναι δίκην.* Plat. Prot. 316. C: *σκόπει πότερον περὶ αὐτῶν μόνος οἴει δεῖν διαλέγεσθαι πρὸς μόνους, ἢ μετ' ἄλλων.* Demosth. 19. 235: *εὐθὺς ἡγούμην ἐν*

*τούτοις πρῶτον αὐτὸς περιεῖναι δεῖν αὐτῶν καὶ μεγαλοψυχότερος φαίνεσθαι.* Id. 44. 29: *οἴεται δεῖν παρὰ πάντας τοὺς νόμους ἀποστερῆσαι ἡμᾶς τῆς κληρονομίας.* Cf. ib. 28. et 24. 131. Isocr. 9. 30: *οὐχ ἡγήσατο δεῖν χωρίον ὀχυρὸν καταλαβὼν — περιιδεῖν.*

Ad legem *ὅστις δ' ἀπίλλει τῇ θύρᾳ, ἔνδον τοῦ κλέπτου ὄντος* § 17 respexit Aristophanes Eccles. 420: *ἣν δ' ἀποκλῄῃ τῇ θύρᾳ χειμῶνος ὄντος, τρεῖς σισύρας ὀφειλέτω.*

§ 18. Fragmentum legis: *τὸ ἀργύριον στάσιμον· εἶναι ἐφ' ὁπόσῳ ἂν βούληται ὁ δανείζων* ab ipso oratore explicatur *τόκον πράττεσθαι ὁπόσον ἂν βούληται*, quod cum *στάσιμον εἶναι* parum convenit. Legendum puto *τὸ ἀργύριον στ. θεῖναι ἐφ' ὁπόσῳ κ. τ. ἑ.*, tum *τὸ στάσιμον θεῖναι τοῦτ' ἔστιν κ. τ. ἑ.* i. e. *illud* *στάσιμον θεῖναι* *(elocare) non est statera ponderare sed usuram exigere quantam voluerit.* Num verba *ὁ δανείζων* in lege ipsa eo loco posita fuerint an explicationis causa ab oratore addita non decerno. Nam omnia quae ex legibus vetustis afferuntur sunt abrupta; identidem, et § 17 (*ἐπεγγυᾶν — δρασκάζειν*) et § 19 (*ὅσαι — ὀφείλειν*) diversarum legum particulae deinceps ponuntur sine ullo vinculo. — *Στάσιμον τιθέναι* dictum est ut *ἐνέχυρον τιθέναι τι.* Et notae sunt poeticae formulae *ἅλιον, ἀποίητον, νέον θέμεν*, alia.

§ 23. „Cur poenas ab eo non repeterem? *Τίνος ὄντος ἐμοὶ πρὸς ὑμᾶς ἐγκλήματος*; Dobreus, quod mirere, hic statuit idem esse *ἔγκλημα γίγνεταί μοι πρός τινα* et *τινὶ πρὸς ἐμέ.* „Exemplum, inquit, notabile locutionum, ubi in re mu„tua nil refert, utrum dicas *τῷ* A *πρὸς τὸν* B an *τῷ* B *πρὸς* „*τὸν* A." In orat. contra Erat. § 2 (nam hunc locum primum allegat) sermo est de inimicitiis (*ἔχθρᾳ*); hae solent esse mutuae, unde licebat oratori dicere *ἥτις ἦν αὐτοῖς πρὸς τὴν πόλιν ἔχθρα, ἀνθ' ὅτου τοιαῦτ' ἐτόλμησαν εἰς αὐτὴν ἐξαμαρτάνειν*, *quae inimicitiae inter eos et civitatem intercesserint* pro *quid civitas in eos deliquerit.* Superiora *πρότερον μὲν γὰρ ἔδει τὴν ἔχθραν τοὺς κατηγοροῦντας ἐπιδεῖξαι, ἥτις εἴη πρὸς τοὺς φεύγοντας* si voluit similiter explicata, non eum puto verum vidisse. Animi intentionem et fervorem ostendere decebat actorem, non

dicis causa accusare. Neque in Agor. (18) § 89 agnosco inversionem illam; ὅρκοι καὶ συνθῆκαι non exstant nisi a duabus partibus inita; quae pepigerant οἱ ἐν Πειραιεῖ πρὸς τοὺς ἐν ἄστει (§ 88), ea obligabant etiam τοὺς ἐν ἄστει πρὸς τοὺς ἐν Πειραιεῖ. Talis etiam ratio est in διακεῖσθαι πρός τινα § 82. Quid huc faciat in Alc. I (14). 2 πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῖν διαφορᾶς ὑπαρχούσης non assequor; nam sententia est: quum mutuo odio alter alterius patrem insectaremur," non, ut D. vult, τῶν πατέρων πρὸς ἀλλήλους. In quam sententiam quis dixerit διαφορὰ ὑπάρχει πρὸς τοὺς πατέρας? Pro bon. Nic. fr. (18) 6 :τοιαῦτ' ἐνομίζετο τὰ ὑπάρχοντ' αὐτῷ πρὸς τὸ ὑμέτερον πλῆθος εἶναι καὶ διὰ τοὺς προγόνους καὶ δι' αὐτόν, ὥστ' οὐκ ἄν ποθ' ἑτέρας ἐπιθυμῆσαι πολιτείας significari sane possit tantum a civitate illi deberi, tanta illum a civitate accepisse; sed sequentia si conferas apparet verba significare quod sonant (μεγάλας εἰςφορὰς εἰςενηνοχόσι κ. τ. ἑ.) Longe igitur in his verbis (ἔχθρα, διακεῖσθαι, ὑπάρχειν πρός) alia ratio est quam in ἔγκλημα, quod vocabulum non necessario mutuam actionem significat. Tamen ut loco, unde digressus sum, pro Mant. (16). 10 legitur: καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους οὕτω βεβίωκα, ὥστε μηδεπώποτέ μοι μηδὲ πρὸς ἕνα μηδὲν ἔγκλημα γενέσθαι. Verum illo loco πρὸς dictum puto pro: *ratione alicuius habita, erga* („ut nemo umquam quidquam mihi obiecerit in „se commissum.") Tale vero quid locus in Theomnestea non admittit, in quo non agitur de officiis civitati praestandis. Quare ibi legendum puto πρὸς ὑμῶν. Haesit, opinor, epitomator quoque, qui § 8 πρὸς ὑμᾶς omisit, ex quo tamen nullum pro mea coniectura argumentum petendum; correxit quod inveniebat, ut paulo post ex formula constanti: βελτίων καὶ ἐκ βελτιόνων (cf. oppositum δοῦλος καὶ ἐκ δούλων) tria posteriora vocabula omisit.

§ 24. Ἀναμνήσθητε δ' ὅτι μεγάλην καὶ καλὴν ἐκείνην δῶρον αὐτῷ δεδώκατε· ἐν ᾗ τίς οὐκ ἂν ἐλεήσειε Διονύσιον κ. τ. ἑ. Sic libri; editores pro δῶρον substituerunt δωρεάν. Dubitare tamen licet an in ΕΚΕΙΝΗΝ lateat ΝΕΙΚΗΝ i. e. νίκην. Δῶρον

est alienum additamentum. Pulcram scilicet victoriam ei dederant iudices in certamine cum Dionysio. Acerba cum ironia loquitur. Multo confidentius dici potest, verba ἐν ᾗ in vulgata non apta esse. Iure Emperius requirebat ἐν ᾧ. Probabilius tamen est ᾗ, ex quo quum casu ᾗ exstitisset, librarius ἐν addidit (*An quem non misereret Dionysi?*).

§ 27 et 29 certissimas coniecturas Dobrei: πολλοὺς δὲ καὶ καλοὺς κινδύνους pro καὶ ἄλλους, et Westermanni § 29: τοῖς μὲν σώμασι δύνανται, ταῖς δὲ ψυχαῖς οὐκ ἰσχύουσι pro ἔχουσι receptas oportuit. § 28 τῷ εἰρηκότι corruptum puto.

§ 31. ὃς μόνος ἐπειδὴ τάχιστ' ἐδοκιμάσθην, ἐπεξῆλθον τοῖς τριάκοντα ἐν 'Αρείῳ πάγῳ. Pugnant haec aperte cum § 4, ubi dicit 13 se annos natum fuisse, quo tempore pater a triginta viris interficeretur; secundum haec ἐδοκιμάσθη aliquot annis post eiectos triginta viros, quo sane tempore non potuit eos accusare qui dudum mortui essent, fortasse Eratosthene et Phidone tantum exceptis (cf. ad or. 12). Miror interpretes hac de re tacuisse, nec video quomodo me hinc expediam nisi statuendo oratorem § 4 impudenter mentiri, quo facilius se purget; sed iam tum cum triginta dominarentur annos fere 16 natum fuisse. De authentia huius orationis, quamvis dubitanter Harpocratio loquatur (εἰ γνήσιος, voce ἀπίλλειν et alibi cf. Hoelscher p. 75) minime dubitandum videtur. — Denique addendum ex § 12 apparere Theomnestum non tantum falsi testimonii sed praeterea etiam calumniae accusationem instituisse; fortasse tamen ad unam eandemque respici causam. Ψευδομαρτυρία quidem illa continebat calumniam, ut quamvis non ex iuridica vocabuli sententia, vere tamen illud iudicium περὶ κακηγορίας dicere posset: καὶ αὐτὸς μὲν Θέωνι κακηγορίας ἐδικάσω εἰπόντι σ' ἐρριφέναι τὴν ἀσπίδα. Nomen Theonis mihi utique suspectum; in epit. § 6 ubi haec verba repetuntur omittitur et ante εἰπόντι additur τῷ. Quare vide num legendum sit: καὶ αὐτὸς μὲν Θεόμνηστε κακηγορίας ἐδικάσω τῷ εἰπόντι σ' ἐρριφέναι τὴν ἀσπίδα. ΘΕΩΝΙ ex compendio ΘΕΟΜΝ exstitisse satis probabile.

## XII. ΚΑΤ' ΕΡΑΤΟΣΘΕΝΟΥΣ.

Si Alphonsus Hecker (de orat. in Eratosth. Lysiae falso tributa, progr. Gymn. Leid. a. 1847—48) cognovisset Scheibi libellum, qui inscribitur: die oligarchische Umwälzung zu Athen, Leipz. 1841, de nonnullis quae ad opportunitatem huius orationis pertinent, fortasse aliter iudicavisset. Eratosthenes et Phido ex triginta viris in collegium decem virorum, quod institutum ea spe, ut duae partes Piraeensium et τῶν ἐν ἄστει conciliarentur, adsciti sunt; reliqui ex triginta viris Eleusina concesserunt, rebus suis diffidentes. Libertate deinde restituta, Eratosthenes et Phido, quamvis altero quoque magistratu parum se popularis imperii fautores praestitissent, tamen ausi sunt clementiam civium suorum experiri, quod impunitatis legi decaduchi non exemti essent. Tum igitur Lysias, inquilinus ἰσοτελής, Eratosthenis audacia oblatam sibi opportunitatem arripuit ulciscendi fratris ab eo indicta causa interfecti. Eaque causa agitur antequam Eleusis, quo perfugerant οἱ τριάκοντα, capta est. Eratosthenes utrum condemnatus fuga sibi consulens reliquis triginta viris se adiunxerit eorumque adversam sortem sit expertus, an vero Athenis postea aliquamdiu vixerit, non habeo dicere. Verum tantum apparet, etiamsi vel maxime ille et Phido e reliquorum numero exemti fuerint, tamen potuisse scriptores de triginta omnino referre, quae, si rem diligenter exprimere voluissent, ad duodetriginta pertinerent (Xen. Hell. II. 4. 38, Philoch. apud Harpocr. v. πομπεῖα, Andoc. 1. 15, qui quae refert de εὐθύναις dandis pertinent ad τοὺς ἕνδεκα, non ad triginta viros). Sed utique habita est haec oratio ante Eleusinem captam et Eratosthenis collegas interfectos; futurum sperat orator, ut ab his poenas repetant Athenienses, in quam partem dicta accipio § 79: ἥκει καιρὸς ἐν ᾧ δεῖ παρὰ Ἐρατοσθένους καὶ τῶν τουτουὶ συναρχόντων δίκην λαβεῖν. Et quae de triginta viris in universum dicit § 80: μηδὲ παρόντας ἀφῆτε, μηδὲ τῆς τυχῆς, ἣ τούτους παρέδωκε τῇ πόλει per amplifica-

tionem rhetoricam dicta facillime excusantur. Nullam plane difficultatem habent haec, § 35: *εἰ γὰρ δὴ αὐτοὶ οἱ κακῶς πεπονθότες λαβόντες ἀφήσουσι.* Non enim haec postulant, ut triginta illi captivi videantur Athenas abducti esse. Eratosthenes et Phido antequam abire potuissent prehensi erant, aut mente occaecati (ut Andocides 6. 27) sese inimicis suis commiserant. Praeiudicio quodam etiam de reliquis statuebatur, si Eratosthenes condemnaretur; eo contra absoluto reliquos quoque reditum in urbem tentaturos consentaneum erat. Hinc igitur explicandum, quod de accusatione, quae proprie ad unum Eratosthenem pertinebat, verba faciens promiscue subinde singulari et plurali numero utitur (Hecker p. 6). Sic § 1, ubi pro *αὐτοῖς* legendum videtur *τούτοις*, § 2, 22, 36, ubi agitur de eo, quod in hac et reliquis causis, quas mox futuras praevidet orator, constitutum iri exspectat. Sed § 62 *ἐκείνῳ* legendum, non *ἐκείνοις*. Sectione 91 *τούτων ἀποψηφισαμένους* propter oppositionis concinnitatem (*ὑμῶν αὐτῶν*) non sollicitandum; sed absoluto Eratosthene quem animum de triginta viris omnino haberent, declaraturi erant Athenienses; itaque hos simul quasi absoluturi erant. Omnino in Eratosthenis iudicio contra totam factionem iudicium constitui statuit; cf. etiam § 35.

Neque impunitatis lex (*ὅρκοι καὶ συνθῆκαι*) hac accusatione violatur (Hecker p. 5); nam omnino dubia erat causa Eratosthenis, essetne propter communionem cum triginta viris puniendus, an quod decaduchus et leniorum semper consiliorum fuisset venia donandus. Et novimus quam saepe *ἀμνηστίας* lex migrata fuerit vel ex diserto testimonio in orat. 25, vel ex Agoratea, in qua causa satis huic ab hac quidem parte similis tractatur. Ipse ille Isocratis locus adv. Call. 1, ubi Archini lex de oblivione observanda memoratur, ostendit brevi Athenienses iurisiurandi memoriam deposuisse.

Singula, quae A. Hecker ingeniose quidem, ut solebat, sed argute protulit, non iuvat nunc explorare, quum multa, quibus ille offensus est, nunc certa emendatione sanata sint;

neque abest quaedam accusandi calliditas, quum quo acrius vellicaret, manifesto corrupta iam tum emendatis praeposuerit. In eo plane mihi convenit cum illo, quod prooemium orationis, sectionem 2 potissimum, obscurum iudicat; nimio studio artificiosae oppositionis ita orator contortus est, ut sententiam aegre expisceris. De reliquis pauca haec notasse sufficit. Sectione 21 *ἄταφον ποιεῖν τινα* eodem iure dicitur quo *ἀποστράτηγον ποιεῖν τινα* (Dem. 23. 149, 154) et *φυγάδα* (Hell. IV. 1. 40, Lys. 13. 64). Lysias § 17 *εἰωθέναι* usurpare poterat, sed pro more suo *εἰθίσθαι* posuit, semel tantum, quantum scio (3. 28), prius perfectum habet. § 53 *εἴασαν αὐτοὺς ἀπελθεῖν* sane male dictum; quantillum tamen erat Heckero haec emendasse. § 86 *ἐξαιτήσονται* legendum videtur; cf. ad or. 30 (et, ut sponte intellegitur, *τῆς τούτων πον.*). § 88 *πέρας ἔχειν τινός* pro exclusum esse aliqua re non graecum est; aliquid latet aliud; dubito etiam de *ἀτίμους τῆς πόλεως κατέστησαν* § 21, nam *τῆς πόλεως* sane prorsus vacat. Quamquam in istiusmodi rebus cautione utendum puto, qui sciam Lysiae alia quoque satis insolentia adscribi, quae tamen corrigenda non sint, velut *μεταπορεύεσθαι ἔχθραν* pro *μετέρχεσθαι*, 31. 2 et ibidem 4 *ἀπειρία* pro *μέγεθος*, ut a suspectis orationibus abstineam. Mihi tantis virtutibus excellere videtur oratio in Eratosthenem, tam narrationis evidentia, quam demonstrationis subtilitate et sententiarum gravitate, ut quum propterea Lysiacam iudicem, si qua probabilitas palaeographica ostendatur emendanda sit, non tanquam foetus subditicius exponenda.

§ 5. *ἐπειδὴ δ' οἱ τριάκοντα πονηροὶ μὲν καὶ συκοφάνται ὄντες εἰς τὴν ἀρχὴν κατέστησαν, φάσκοντες δὲ χρῆναι τῶν ἀδίκων* (fort. *ἀδικούντων*) *καθαρὰν ποιῆσαι τὴν πόλιν καὶ τοὺς λοιποὺς πολίτας ἐπ' ἀρετὴν καὶ δικαιοσύνην τραπέσθαι* (l. *προτρέπεσθαι* cum Kaysero) *καὶ τοιαῦτα λέγοντες οὐ τοιαῦτα ποιεῖν ἐτόλμων, ὡς ἐγὼ — περὶ τῶν ὑμετέρων* (*ὑμᾶς*) *ἀναμνῆσαι πειράσομαι.* Fieri non potest, ut *δέ* post *φάσκοντες* positum iungat *πονηροὶ ὄντες* et *φάσκοντες*, quod apparebit si haec in rectam orationem con-

verteris: *οἱ τριάκοντα πονηροὶ μὲν καὶ συκοφάνται ὄντες εἰς τὴν ἀρχὴν κατέστησαν, φάσκοντες δὲ χρῆναι τῶν ἀδίκων καθαρὰν ποιῆσαι τὴν πόλιν.* Placeretne talis periodus: *οἱ Ἕλληνες πολεμικοὶ μὲν καὶ εὐθαρσεῖς ὄντες οὐδεμίαν τοῖς ἄλλοις ὑπερβολὴν καταλελοίπασιν, οἰόμενοι δὲ τὴν τῶν βαρβάρων γῆν αὐτοῖς κατήκοον δεῖν εἶναι* —? Sentietur, opinor, quam inepta sit talis structura. Nam, ne dicam de insolito verborum ordine, contra legitimum usum iunguntur per *μέν* et *δέ*, quae diversa ratione ad verbum referuntur, quum prius (*πονηροὶ ὄντες*) perpetuam proprietatem, alterum (*φάσκοντες*) factum significet. Quae quum ita sint, apodosis a *τοιαῦτα λέγοντες* (quod hodie omisso *καὶ* fere receptum est) incipere nequit, sed oratio sic cohaeret: *ἐπειδὴ δὲ οἱ τριάκοντα πονηροὶ μὲν ὄντες εἰς τὴν ἀρχὴν κατέστησαν, φάσκοντες δὲ χρῆναι τῶν ἀδίκων* (*ἀδικούντων*) *καθαρὰν ποιῆσαι τὴν πόλιν οὐ τοιαῦτα ποιεῖν ἐτόλμων*, quae oratio deinceps non continuatur; est genus illud anacoluthiae, in quo apodosis omittitur, quod protasis propter explicationes necessarias nimis excrevit. Dum quae omittenda minime sunt animum scriptoris subeunt, his de proposito abductus structuram inchoatam relinquit; pluribus ea persecutus Lysias (*ὡς* — *πειράσομαι*) quae in protasi proposuerat, illud quod in apodosi ponendum erat iam in protasi occupaverat. Huiusmodi anacolutha apud Platonem pro liberiore loquendi genere sunt frequentia; luculentum exemplum est Phaed. 86. A; plura si quis ex Platone desideret consulat Engelhardt, Anacoluthiarum Platonicarum spec. III (Gedani, 1845) p. 44, XII. Intellegitur tamen istiusmodi neglegentiam in omni commotiore sermone aptam esse posse; cf. ex Lysia 1. 40, 12. 38. Sed quum per *τοιαῦτα* (*λέγοντες*) resumatur quod fusius dictum antea erat, non *καὶ τοιαῦτα* (ut libri habent) *λέγοντες οὐ τοιαῦτα* legendum, sed *καὶ τὰ τοιαῦτα, λέγοντες δ' οὐ τοιαῦτα*. Acute Cobetus: *καίτοι ταῦτα λέγοντες*, sed ita *δέ* post *φάσκοντες* etiam omittendum est.

§ 19. *τῆς γὰρ Πολεμάρχου γυναικὸς χρυσοῦς ἑλικτῆρας, οὓς ἔχουσ' ἐτύγχανεν, ὅτε τὸ πρῶτον ἦλθεν εἰς τὴν οἰκίαν Μηλόβιος,*

ἐκ τῶν ὤτων ἐξείλετο. Distinguendum erat: εἰς τὴν οἰκίαν, Μηλόβιος — ἐξείλετο. Quum in mariti Polemarchi manum veniebat, iam illos annulos uxor habebat; quanto iniquius erat hos tam diligenter conservatos illi eripi a Melobio. — De verbo κτήσασθαι in hac sectione in κτήσεσθαι mutando monuerat iam Dobreus: ὅσα οὐδεπώποτε ᾤοντο κτήσεσθαι; tum paulo ante § 17 pro τὸ ὑπ' ἐκείνων εἰθισμένον παράγγελμα, legendum esse ἐπ' ἐκείνων non novum est, sed artificiosa interpretatione recentiores editores malunt defendere codicum (vel codicis potius) lectionem: τὸ ὑπ' ἐκείνων εἰθισμένον, int. παραγγέλλεσθαι.

§ 27. Post rei interrogationem § 25, primum redarguit illum dicentem, se consilio triginta virorum restitisse § 26; tum ad alteram excusationem refellendam transiens, καὶ μήν, inquit, οὐδὲ τοῦτ' εἰκὸς αὐτῷ πιστεύειν, εἴπερ ἀληθῆ λέγει φάσκων ἀντειπεῖν, ὡς αὐτῷ προςετάχθη (MS. ἐτάχθη). In his tria postrema verba iungenda sunt cum πιστεύειν; interposita sunt illa εἴπερ — ἀντειπεῖν per parenthesin, sic ut viam ad sequentia praeparent: „sed si vel maxime vera contendat dicens se oblocutum esse (de quo quid sit statuendum iam dictum), tamen utique non oportet ei fidem habere, quum dicit iussum se fuisse." Haec ita pronunciata fuerunt, ut audientibus non essent obscura, legenti impedita sunt; cf. infra ad § 41. Pergit orator: οὐ γὰρ δή που ἐν τοῖς μετοίκοις πίστιν παρ' αὐτοῦ ἐλάμβανον. Bergkius pro πίστιν proposuit πεῖραν; non assentior; πίστις, pignus fidei, tam rebus, ut hoc loco, quam verbis dari potest. Documentum fidei et simul pignus in posterum putabant triginta viri malefactorum societatem, ut notum ex Plat. Apol. 32. C, Lys. 25. 13: τοὺς πλεῖστα κακὰ ὑμᾶς εἰργασμένους εἰς τὰς τιμὰς καθίστασαν, ὡς ταύτην παρ' ἡμῶν (l. αὐτῶν) πίστιν εἰληφότες. Sed ἂν h. l. abesse non potest; legendum οὐ γὰρ ἂν δή που, ut Xen. CP. III. 1. 17. In sequentibus: ἐπεί τοι τῷ ἧττον εἰκὸς ἦν προςταχθῆναι, ἢ ὅστις γε ἀντειπὼν ἐτύγχανε, in his igitur ἐπεί τοι est ex emendatione; codex ἔπειτα, quod omnino ferri non

posset, si in eodem pergeret argumento; sed omnino novi quid affert; in superioribus dixit non facile futurum fuisse ut lucrum, quod ex metoecis sperabant, omnino in discrimen dedissent; tum, porro, inquit, quem minus consentaneum erat tale iussum accepturum, quam hunc, qui oblocutus esset. Cum nimis gravis triginta viris erat res inquilinorum, ut ea uterentur ad alicuius fidem explorandam, tum hic in ea re suspectus.

§ 30. *ὑμεῖς δὲ πάντες ὀργίζεσθε, ὅσοι εἰς τὰς οἰκίας ἦλθον.* Leg. *ὠργίζεσθε.*

§ 33. *οὐδὲ παρ' αὐτοῖς εἶναι* „quemadmodum ne domi qui-„dem nostrae nobis esse licuit." *Αὐτοῖς* pro *ἡμῖν αὐτοῖς*, ut *ἑαυτῶν* pro *ὑμῶν αὐτῶν* 8. 5, 18. 15, 28. 16. Ceterum strictim et sine necessitate sed eo acerbius haec dicuntur.

§ 34. *φέρε δή, τί ἂν εἰ καὶ ἀδελφοὶ ὄντες ἐτύχετ' αὐτοῦ ἢ καὶ υἱεῖς; ἀπεψηφίσασθε;* (*ἂν* add.) Aliquid excidisse post *τί ἂν εἰ* videtur Dobreo; iure, opinor. Sententia enim huius sectionis est: „veruntamen ne hanc quidem condicionem re-„cuso (ut liceat isti sibi honorifica praedicare de iis, quae „nemini nota sunt, et ad facta tantum eius attendamus), „sed largior tibi, te oblocutum esse. Quamquam miror uti-„que, quid tandem fecisses (triginta viris) suffragatus, qui „nunc quidem, quum oblocutum te esse dicas, Polemarchum „interfeceris." Post hanc exceptionem an correctionem dictorum in viam redit: sed iam sequi debet, quid aequum sit eum pati, qui iniuste, quamvis oblocutus, aliquem interfecerit, hoc fere modo: „agite vero (ut illud mittam), si quis „quem *invitus quidem et aliis obsecutus*, *sed tamen iniuste in-„terfecisset*, vosque interfecti fratres aut filii fuissetis, num „interfectorem absolvissetis?" Ita nulla offensio est in aoristis, pro quibus sunt qui imperfecta substituta velint, et recte procedit argumentatio.

§ 41 sq. *Πολλάκις ἐθαύμασα τῆς τόλμης τῶν λεγόντων ὑπὲρ αὐτῶν, πλὴν ὅταν ἐνθυμηθῶ ὅτι τῶν αὐτῶν ἐστιν αὐτούς τε πάντα τὰ* (*τά* delendum, cf. Dobree, p. 214 et Sauppe, Philol.

XV. 149) κακὰ ἐργάζεσθαι, καὶ τοὺς τοιούτους ἐπαινεῖν. Οὐ γὰρ νῦν πρῶτον τῷ ὑμετέρῳ πλήθει τἀναντία ἔπραξεν. Reiske non perspexit nexum sententiarum, qui abruptus est quodammodo; nam haec ita cohaerent: „miratus sum esse etiam „nunc qui Eratosthenem defendant; — quamquam mirari „desino, ubi reputo, maleficos a maleficis defendi; — hic „enim non nunc primum vestrae obversatur multitudini." Filum igitur orationis abruptum per πλήν, resumitur post ἐπαινεῖν, et γάρ, referendum ad superiora, admirationis causam suggerit; cf. supra § 27. Quod si ita est, pro ὑπὲρ αὐτῶν legendum ὑπὲρ *αὐτοῦ*. Non esse videtur cur cum Kaysero quaedam post ἐπαινεῖν intercidisse putemus.

§ 53. Πολλὰς ἑκάτεροι ἐλπίδας εἴχομεν πρὸς ἀλλήλους ἔσεσθαι, ὡς ἀμφότεροι ἐδείξαμεν. — Ἐδείξαμεν pro ἔδοξαν receptum est monitu Geeli, qui primam personam necessariam esse vidit, ut sententia sit: ut utrique factis probavimus. Sed difficiliora sunt priora; nam supervacaneum est monere πρὸς ἀλλήλους ἔσεσθαι non posse significare; *alteros ad alteros accessuros* (Reisk.). Rauchenstein: *wir würden beiderseits so gegen einander sein — so versöhnlich — wie beide theile zeigten.* Sed haec in verbis non insunt; nam ut graece talis sententia efferretur, mutandum foret: *περὶ* ἀλλήλους ἔσεσθαι, *οἷοι* (ὄντες) ἀμφότεροι ἐδείξαμεν. Non enim graecum est εἰμὶ περί τινα οὕτως, ὡς pro τοιοῦτος, οἷος. Hamakerus sententiae putat satisfacere διαλλαγήσεσθαι pro ἔσεσθαι, Scheibius olim proposuit σπείσεσθαι. Sed sive hoc, sive illud, sive aliud similis significationis vocabulum adsciveris, minus apta erunt quae sequuntur; nam post commemoratam foederis spem, quae eventu comprobata sit (ὡς ἀμφ. ἐδ.), exspectes in sequentibus foedus initum aut certe tentatum dici. Quod secus est; nihil enim iis comprobatur, quam animum atque voluntatem civium ad reconciliationem fuisse proclivem. Hanc igitur spem fovisse utrosque verbis corruptis significatum fuisse videtur. Vide num ferri possit: πολλὰς ἑκάτεροι ἐλπίδας εἴχομεν πρᾷοι πρὸς ἀλλήλους ἔσεσθαι, ὡς ἀμφότεροι ἐδείξα-

μεν. Πρᾷος, *pronus ad veniam* (cum συγγνώμων iunctum a Xen CP. VI. 1. 37, iudices πρᾷοι, *faciles in iudicando* saepius) apprime cum sequentibus convenit, et facile potuit ante πρός omitti. Verba ὡς ἀμφ. ἐδ., ut in transitu brevius dicta, praeparant sequentia: quemadmodum etiam rebus, quae secutae sunt, demonstravimus.

§ 54. ἡγούμενοι δικαίως ἂν ὑπὸ τῶν αὐτῶν τούς τε τριάκοντα μισεῖσθαι καὶ τοὺς ἐν Πειραιεῖ φιλεῖσθαι. Iustumne an iniustum esset, sic eos facere, nihil hic attinebat dicere; sed magis minusve probabile esse. Vide num δικαίως ἂν sint scioli additamentum.

§ 63. καίτοι σφόδρ' ἂν αὐτὸν οἶμαι μετὰ Θεμιστοκλέους πολιτευόμενον προςποιεῖσθαι πράττειν, ὅπως οἰκοδομηθήσεται τὰ τείχη, ὁπότε καὶ μετὰ Θηραμένους ὅπως καθαιρεθήσεται. οὐ γάρ μοι δοκοῦσιν ἴσου ἄξιοι γεγενῆσθαι. Transitus durus. Hoc dicit: „illa excusatio nihili est; quid enim conducit ad illum provocare qui patriae muros diruit? quam libenter igitur hic talis vir Themistoclis, qui restituit moenia, se socium fingeret." Scilicet quavis ratione opportunitatem captans Theramenis insectandi hanc longe repetitam cum Themistocle comparationem instituit. Est in his ironia quaedam, quam deinde deponit, ut serio castiget, quod melius sentietur, si pro οὐ γάρ scribatur ἀλλ' οὐ γάρ, quasi diceret: sed quid ego Theramenem et Themistoclem compono? potius quam diversissimi sunt.

§ 87. ἀλλὰ τοὺς μάρτυρας ἄξιον ἰδεῖν, οἳ τούτοις μαρτυροῦντες αὐτῶν κατηγοροῦσιν. Pro οἵ legendum ὅτι, nisi graecum putatur ἰδεῖν τινα ὅς reputare, cogitare aliquid de aliquo. Denique § 90 δῆλοι ἔσεσθε ὡς ὀργιζόμενοι, omittendum videtur ὡς; huius enim constructionis unum tantum apud bonos scriptores Atticos inventum est exemplum Xen. An. I. 5. 9. Merus pleonasmus est ὡς; codex autem Lysiae corruptior quam ut tale quid ferendum videatur.

§ 7. Ἡγοῦντο δ' οὐδὲν ἄλλο σφίσιν ἐμποδὼν εἶναι ἢ τοὺς τοῦ δήμου προεστηκότας. Coniicio οὐδένας μᾶλλον. Cf. Dem. 23. 204, 30. 37.

§ 9. De Theramene sermo est, qui pollicebatur in contione ὅτι — ποιήσει ὥστε μήτε τῶν τειχῶν διελεῖν μήτ' ἄλλο τὴν πόλιν ἐλαττῶσαι μηδέν. Ne quis μηδέν ad τῶν τειχῶν suppleat cf. Thuc. III. 89. 3 (ἡ ἐπίκλυσις) τοῦ Φρουρίου τῶν Ἀθηναίων παρεῖλε. Aliquatenus diversa sunt Plat. Symp. 213. D, Xen. Anab. VII. 4. 5, quibus locis aliquot ex numero quodam intelleguntur; et Thuc. II. 75. 4: διελόντες τοῦ τείχους ᾗ προςέπιπτε τὸ χῶμα ἐςεφόρουν τὴν γῆν, quod dictum ut supra § 8: εἰ κατασκαφείη τῶν τειχῶν τῶν μακρῶν ἐπὶ δέκα στάδια ἑκατέρου. Est tamen in hoc loco quod offendat; nam ante infinitivum post ποιεῖν ὥστε subiectum a primario diversum non potest omitti; omissum autem hic esse Λακεδαιμονίους ex ἐλαττῶσαι demum intellegitur. Proclive est αὐτούς addere. Sed aliquanto probabilius est, ποιήσει esse corruptum ex πείσει. Post πείθειν obiectum omittitur ut Thuc. III. 100: προπέμψαντες πρότερον ἔς τε Κόρινθον καὶ ἐς Λακεδαίμονα πρέσβεις — πείθουσιν ὥστε σφίσι πέμψαι στρατιάν. Cf. id. 75. 1 et alibi.

§ 12. Cleophontem damnarunt πρόφασιν μὲν ὅτι οὐκ ἦλθεν εἰς τὰ ὅπλα ἀναπαυσόμενος, τὸ δ' ἀληθὲς ὅτι ἀντεῖπεν ὑπὲρ ὑμῶν μὴ καθαιρεῖν τὰ τείχη. Breviter commemorat quae in Nicomachea (§ 10) fusius narrantur; conflatum erat iudicium adscito senatu, qui paucorum favebat imperio, quo certius ille condemnaretur. Quum legitima forma iudicii non observaretur, in eo quoque a consuetndine recessum esse, quod crimen contumaciae militaris ad iudicium aliquod (δικαστήριον), non ad strategos deferretur, non est quod illis turbulentis temporibus miremur. Sed in hac brevitate me quidem tenue illud ἀναπαυσόμενος magnopere offendit. Fac non inepte crimini datum fuisse Cleophonti, quod sub noctem ad

castra non venisset, sed quis credat hoc singulare delictum militare praetexi potuisse, ut capitale iudicium intentarent ei? Ad castra non venerat ut ibi — dormiret, et propterea morte dignus visus esset? Scheibius Olig. Umw. p. 42 (conf. Vind. p. 67) interpretatur, non praesto eum fuisse ad arma, quoniam quiescere vellet; satis languide. Mihi Lysias pro *ἀναπαυσόμενος* aliud scripsisse videtur; coniicio *ἀνακαλεσάμενοι*. Specie quidem illi *obiecerant* quod ad arma non praesto fuisset. Verbum *ἀνακαλεῖσθαι* ita dicitur supra 9. 7 et al.

§ 14. *καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν τριάκοντα ἐξηλάθημεν· ἦν γὰρ — ὅλα τὰ μακρὰ τείχη διασκάψαι.* Litteras EN post *ἐξηλάθημεν* repetendas puto:. *ἐνῆν*, inerat in condicionibus pacis. Infra quoque § 70 *οὐδαμοῦ γάρ ἐστιν Ἀγόρατον Ἀθηναῖον εἶναι* restituendum *ἔνεστιν*, nim. in tabulis publicis, quemadmodum recte de foedere apud Thuc. VIII. 40: *ἐνεῖναι γὰρ καὶ νήσους ἁπάσας πάλιν δουλεύειν.* Apud Demosth. 14. 25: *ἐν ταύτῃ χρήματ' ἔστιν* Dindorfius ex cod. Σ restituit *ἔνεστιν*. In contrariam partem apud Xenophontem CP. II. 2. 26 peccatum videtur, ubi quod legitur: *οὔτε γὰρ ἅρμα δήπου ταχὺ γένοιτ' ἂν βραδέων ἵππων ἐνόντων* paene ridiculum. In Lysiae loco *ἐνῆν* restituit etiam Halbertsma.

§ 15. Pacis condiciones afferente Theramene aegre ferebant quidam: *ὁρῶντες δ' οὗτοι οἱ ἄνδρες ὀνόματι μὲν εἰρήνην λεγομένην, τῷ δ' ἔργῳ τὴν δημοκρατίαν καταλυομένην.* Hirschig. *γενομένην*; sed pax nondum erat facta. *Λεγομένην* glossa videtur verae lectionis *φερομένην* „illud quod afferebatur, nomine pax erat." Proxima § pro *εἰρήνην ποιήσασθαι*, requiro *ποιῆσαι*.

§ 17. *γνοὺς δὲ ταῦθ' ὁ Θηραμένης — ὅτι εἰσί τινες.* *Ταῦτα* eiecit Herwerdenus, ut ante eum Bremius; Hamakerus *ἐκ τούτων*. Vere Westermannus (progr. Lips. 1860 p. 4) *γνοὺς δ' ἐνταῦθ' ὁ Θ.*

§ 19. *ἐβούλοντ' οὖν ἄκοντα δοκεῖν αὐτὸν καὶ μὴ ἑκόντα μηνύειν, ὅπως πιστότερα ὑμῖν ὑποφαίνοιτο.* Herwerdenus verba *καὶ μὴ ἑκόντα* iudicat magistelli esse additamentum; sed ad-

modum frequens iam inde ab Homero est consociatio contrariorum, ad maiorem orationi emphasin conciliandam. Ἕκτορ ἐπεί με κατ' αἶσαν ἐνείκεσας οὐδ' ὑπὲρ αἶσαν, Il. VI. 333; μὰψ ἀτὰρ οὐ κατὰ κόσμον, Od. III. 138 et al. Similiter tragici γνωτὰ κοὐκ ἄγνωτα, Soph. O.T. 58. Phil. 771: ἑκόντα, μήτ' ἄκοντα — μεθεῖναι. O.T. 1230: κακὰ ἑκόντα κοὐκ ἄκοντα. Opposita substantiva componit Herodotus II. 172: σοφίῃ αὐτοὺς ὁ Ἄμασις, οὐκ ἀγνωμοσύνῃ προςηγάγετο. Apud Lysiam 18. 2 est ὅσα δ' οὐ βουλόμενος ἀλλ' ἄκων ἠναγκάσθη ποιῆσαι, qui locus sane verbosior est; sed cf. Dem. 2. 16; Lys. 24. 4: καὶ γὰρ τῷ σώματι δύνασθαι καὶ οὐκ εἶναι τῶν ἀδυνάτων. Cf. etiam infra § 22, sub f.: πῶς οὐκ ἂν ἠνάγκασεν ἡ βουλὴ εἰπεῖν τὰ ὀνόματα Θεόκριτον καὶ μὴ ἀνώνυμον τὴν μήνυσιν ποιήσασθαι. Dem. 20. 138: εἰ δὲ τοῦτο φεύξονται καὶ μὴ ἐθελήσουσι ποιεῖν. Sed maiorem difficultatem sequentia habent: ὅπως πιστότερα ὑμῖν ὑποφαίνοιτο. Exspectes πιστότερος, nim. Ἀγόρατος. Porro ὑποφαίνοιτο *sensim appareret* ab hoc loco alienum. Pro ΥΜΙΝΥΠΟ lego ΗΜΗΝΥCIC, ὅπως πιστοτέρα ἡ μήνυσις φαίνοιτο. Nec offendere debet vocabulum μήνυσις saepius positum; cf. ne longius abeam § 20, ubi βουλή quater ponitur; ibi semel quidem omittendum mihi videtur: οἱ γὰρ πολλοὶ οἱ ἐξ ἐκείνης τῆς βουλῆς τὴν ὑστέραν [βουλὴν] τὴν ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἐβούλευον. Saepius ibi nihilominus vocabulum ponitur, quam cum eleganti et diligenti stilo convenire videatur; quum praesertim in eadem sectione verbum βουλεύειν bis ponatur. Cf. etiam § 51 et § 47, ubi etiamsi πόλεως semel omittendum sit, restat tamen illud vocabulum ter positum; denique 26. 12. Sed apparet in hoc genere Atticos minus cautos fuisse.

§ 22. εἶναι ἑτέρους οἳ ἐροῦσι τὰ ὀνόματα, αὐτὸς δ' οὐκ ἂν ποτε ποιῆσαι ταῦτα. καίτοι εἰ μὴ ἐκ παρασκευῆς ἐμηνύετο, πῶς οὐκ ἂν ἠνάγκασεν ἡ βουλὴ εἰπεῖν τὰ ὀνόματα Θεόκριτον. Si de delatione a pluribus facta ageretur non mirum esset passivum impersonale; sed in proximis de uno Theocrito agitur. In superioribus ταῦτα non recte se habet, quoniam

respicit ad *unum* illud λέγειν τὠνόματα; praeterea si ibi omittitur, multo rectius terminatur sententia. Sumentes ταῦτα loco suo motum esse, duabus medemur difficultatibus. Transponendum puto post καίτοι.

§ 27. ἀλλὰ μὲν δή, κ. τ. ἑ. Non apte haec nectunt sequentia superioribus, nulla est enim oppositio; in praegressis enumerat causas, cur Agorato abeundum fuerit; in sequentibus causas remanendi quae aliis fuerint, huic nullas fuisse ostendit; recte se haberet ἀλλὰ μὲν δή, si referretur quae ut Athenis maneret Agorato suadere possent, ut responderetur ad interrogationem supra positam. „Quare tandem, inquit, manebas?" Nunc exspectes: „*nam* poteras abire sine „civitatis amissione et metu cruciatus liberatus", non: „*sed* „poteras —". Sensit hoc Reiskius qui ἀλλὰ γὰρ δή requirit; sed propius ad librorum lectionem accedit Cobetus, quem vere emendare opinor ἀλλὰ μὲν δὴ οὐχ ὅμοια γάρ, in quibus nihil mutatum quam quod γάρ pro γέ substitutum est (Orat. de arte interpr. p. 97). Ita ἀλλὰ μὲν δή ad sententiam nunc quidem suppressam, postea additam („at enim vero tu „manere volebas") referuntur, et per γάρ cum leni ironia causa affertur. Longior fui in impugnanda vulgata lectione, quod eam a Dobreo diserte defensam viderem.

In proximis: πατρίδα σφετέραν αὐτῶν aegre careo articulo. Tale enim additamentum, quale est σφ. αὐτ., quod non necessarium per se, emphasis tantum causa additum est, postulat, opinor, articulum. Non mirer, si πατρίδα esset interpretatio articuli, ut olim lectum fuerit ἔπειτα τὴν σφετέραν αὐτῶν καταλιπόντες. Sub finem sectionis πατρίδα σαυτοῦ non sollicitandum. Contra infra § 45: οἱ μὲν γονέας σφετέρους αὐτῶν πρεσβύτας καταλειπόντες, οἳ ἤλπιζον ὑπὸ τῶν σφετέρων αὐτῶν παίδων γηροτροφηθέντες — ταφήσεσθαι, recte omitti videtur a plerisque editorum σφετέρους αὐτῶν. Quominus autem putem nostro quoque loco σφετέραν αὐτῶν ab interprete quodam infertum esse, prohibet, quod insigni cum vi et gravitate ea verba adduntur.

§ 31. Ἐβούλοντο τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἔτι πλειόνων αὐτὸς τὰ ὀνόματα ἀπογράψαι· οὕτω σφόδρα ἔῤῥωτο ἡ βουλὴ κακόν τι ἐργάζεσθαι· αὐτὸς οὐκ ἐδόκει αὐτοῖς ἅπαντα τἀληθῆ πω κατηγορηκέναι. τούτους μὲν οὖν ἅπαντας ἑκὼν ἀπογράφει, οὐδεμιᾶς αὐτῷ ἀνάγκης οὔσης. μετὰ τοῦτο προςαπογράφει ἑτέρους τῶν πολιτῶν. Pro αὐτὸς οὐκ ἐδ. Scheibius cum Sauppio dedit καὶ αὐτός ο. ἐ., pro αὐτὸς τὰ ὀνόματα cum aliis αὐτὸν τὰ ὀν. Non possent haec τούτους μὲν οὖν — οὔσης Lysiae vindicari, nisi facta transpositione hoc modo: τούτους μὲν οὖν ἅπαντας ἑκὼν ἀπογράφει, οὐδεμιᾶς αὐτῷ ἀνάγκης οὔσης. Ἐβούλοντο τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἔτι πλειόνων αὐτὸν τὰ ὀνόματα ἀπογράψαι· οὕτω σφόδρ' ἔῤῥωτο ἡ βουλὴ κακόν τι ἐργάζεσθαι, καὶ οὐκ ἐδόκει αὐτοῖς τἀληθῆ πω κατηγορηκέναι. Μετὰ τοῦτ' οὖν προςαπογράφει ἑτέρους τῶν πολιτῶν. Quibus addenda forent in fine verba καί μοι λέγε τὰ ὀνόματα. Praeterea suspecta ista καὶ οὐκ — κατηγορηκέναι. Nam ut omittam κατηγορηκέναι pro κατειρηκέναι positum (cf. § 50 et 56), viri isti non exspectabant se vera ab Agorato audituros. De istis verbis convenit mihi cum Herwerdeno, qui praeterea cum aliis μετὰ τοῦτ' — πολιτῶν omittit. Inutile est de his pugnare, quod locus ita interpolatus est ut certa emendandi via praeclusa sit. Hoc tantum velim attendi. 1°. Si Agoratus non plures quam initio detulit, inutile est quod dicit orator de hostili senatus animo; sin detulit non erat oratori tacendum. 2°. Τούτους μὲν οὖν ἅπαντας statim post enumerationem sequi debere videtur.

§ 35 verba quaedam sunt admodum mihi suspecta. Legitur: ἐπειδὴ τοίνυν οἱ τριάκοντα κατεστάθησαν, εὐθέως κρίσιν τοῖς ἀνδράσι τούτοις ἐποίουν ἐν τῇ βουλῇ, ὁ δὲ δῆμος ἐν τῷ δικαστηρίῳ ἐν δισχιλίοις ἐψηφίσατο. Καί μοι ἀνάγνωθι τὸ ψήφισμα. ΨΗΦΙΣΜΑ. Εἰ μὲν οὖν ἐν τῷ δικαστηρίῳ ἐκρίνοντο κ. τ. ἑ. Nihil ex aliis scriptoribus innotuit de iudicio bis mille civium. Tum quae partes illi iudicio adscribantur non perspicuum est. Si simplicissimam interpretationem sequare, ut populus iudicis personam gerens de viris

illis pronunciaverit, reliqua (§ 36) manifesto pugnant; sin Bremium probes adscribentem: populus iusserat eos, quos indicaverat Agoratus, coram iudicio bis mille iudicum iudicari (ut supplendum sit ἐν δισχ. αὐτοὺς κρίνεσθαι ἐψηφίσατο, vi plusquamperfecti), oboritur quaestio, quomodo de iudicio extra ordinem instituto dici possit ἐν τῷ δικαστηρίῳ, porro quomodo per appositionem addi possit ἐν δισχιλίοις, quale additamentum alibi fere legitimum aliquem et sollemnem numerum indicat; denique mirum esset, iudicium aliquod extra ordinem ad frangendas popularis factionis vires institutum subito mutatum esse ita ut metuendum esset ne populi fautores absolveret. Sed remotis verbis notatis melius procederet narratio: εἰ μὲν οὖν ἐν τῷ δικαστηρίῳ ἐκρίνοντο, ῥᾳδίως ἂν ἐσώζοντο, *iam vero, si*, rell. In proximis haec ἐν ᾧ οὐδὲν ἔτι ὠφελεῖν ἐδύνασθε iungenda sunt cum ᾗδη ἐγνωκότες ἦτε. Reprehensionem continent tarditatis et imperitiae non sane hoc loco necessariam, et per se acerbam. Longe praeferrem νῦν δ' ἐφ' ᾧ οὐδὲν ἔτι ὠφελεῖν δύναισθε, εἰς τὴν βουλὴν — εἰσάγουσιν.

§ 55. Agoratus in defensione provocaturus erat ad Menestratum; hic enim similiter detulerat aliquos et deinde salvus evaserat. Sed consulto reticebat Agoratus, Menestratum postea capite damnatum iustas poenas dedisse. Itaque accusatori sufficiebat hoc tantum addere, ut omnis illa excusatio corrueret; quod facit hac sectione et seqq. Sequitur inde ἀναφέρειν esse *provocare*, et omittendum esse τὶ, hoc modo: ἀκούω δ' αὐτὸν καὶ εἰς Μενέστρατον ἀναφέρειν περὶ τῶν ἀπογραφῶν (sec. Bakium et Westerm. pro γραφῶν) τούτων. Saepe ἀναφέρειν absolute ponitur. Plat. Alcib. I. 111. A. εἰς τοὺς αὐτοὺς ἀναφέρω, οὓς σὺ φῂς οὐ σπουδαίους εἶναι διδασκάλους. Cf. ib. 112. D. Demosth. 18. 224: τῷδε μὲν ἔστ' ἀνενεγκεῖν ἐπ' ἐκείνους. 28. 9: τοτὲ μὲν εἰς ἀλλήλους ἀναφέρετε. Eurip. Ion. 827: ἄλους μὲν ἀνέφερ' εἰς τὸν δαίμονα. cf. supra 12. 28. Si ἀναφέρειν εἴς τινα esset: referre ad aliquem tanquam auctorem, requirerem τὶ τῶν ἀπογραφῶν, omisso περί.

Talis etiam excusatio parum valuisset, quod nihilo minus quaedam delationes Agorato imputandae essent.

§ 62. *στρατηγήσαντες ὑμῖν πολλάκις μείζω τὴν πόλιν τοῖς διαδεχομένοις* (*στρατηγοῖς* iure seclusit Cobet.) *παρεδίδοσαν*. De eo quod non solito more, nec aliquamdiu fiebat, sed uno momento temporis, in ipso mortis articulo, imperfectum, opinor, locum non habet. Leg. *παρέδοσαν*.

§ 63. *οὓς οὗτος μὲν ἀπέκτεινεν ὡμῶς καὶ θάνατος αὐτῶν κατεγνώσθη*. „Turpe interpretamentum" iudicat postrema Herwerdenus. Mihi secus videtur. Postquam interfecturum fuisse Agoratum illos dixit, non inutile erat addere eos, licet superstites tum essent, tamen re vera capite damnatos fuisse, ut quantum in ipso esset re vera peregisset Agoratus. Imperfectum *ἔκτεινον* saepe conatus habere significationem docere potest Brunck. ad Soph. O. T. 1454, Elmsl. ad Heracl. 1003. — *Καὶ θάνατος αὐτῶν* pro *καὶ ὧν θάνατος* omissa constructione relativa ut 14. 17: *ὃς αὐτὸς μὲν οὐκ ἐτόλμα μεθ' ὑμῶν μάχεσθαι, ὁ δὲ πατὴρ αὐτοῦ μετὰ τῶν πολεμίων ἠξίου στρατεύεσθαι*. 25. 11: *ὅσοι δὲ τὸν δῆμον πολλὰ κἀγαθὰ εἰργασμένοι εἰσί, κακὸν δὲ μηδὲν πώποτε, ὀφείλεται δ' αὐτοῖς χάριν κομίσασθαι παρ' ὑμῶν*. Cf. etiam 1. 49, 14. 17, Thuc. II. 4. 3: *ἐσπίπτουσιν ἐς οἴκημα μέγα, ὃ ἦν τοῦ τείχους, καὶ αἱ πλησίον θύραι ἀνεῳγμέναι ἔτυχον αὐτοῦ*. (Dem.) 25. 81: *ἃ κοινὰ νὴ Δία πᾶσιν ὑπάρχει τοῖς ἀγωνιζομένοις παρὰ τῆς τῶν ἄλλων φύσεως, καὶ οὐδεὶς αὐτὸς ἑαυτῷ ταῦτα φέρει τῶν κρινομένων*. Lys. 25. 30: *οἳ νῦν δημοκρατίας οὔσης ταὐτὰ ἐκείνοις πράττουσι — διὰ τούτους δ' ἄπιστοι τοῖς Ἕλλησι γεγενήμεθα*. Id. 1. 27: *πῶς γὰρ ἄν, ὅστις ἐν τῷ δωματίῳ πληγεὶς κατέπεσεν εὐθύς, περιέστρεψα δ' αὐτοῦ τὼ χεῖρε*. 32. 27: *ἃ δι' ἑτέρων ἐπράχθη καὶ οὐ χαλεπὸν ἦν περὶ τούτων πυθέσθαι, ψευσάμενος*. Ex his exemplis apparet in tali structura etiam *οὗτος* (non semper *αὐτός*) usurpari; quod negat Cobetus Mnemos. 1862, p. 167. Inde praesidium peti potest ad bonorum librorum lectionem in Plat. Rpbl. II. init. defendendam: *οἷον τὸ χαίρειν καὶ αἱ ἡδοναὶ ὅσαι ἀβλαβεῖς, καὶ μηδὲν*

εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον διὰ ταύτας γίγνεται ἄλλο ἢ χαίρειν (τὸν) ἔχοντα, ubi κἂν γίγνηται deteriorum librorum est.

Ut Herwerdeno illa καὶ θάν. αὐτ. κατ. sic Kaysero quoque in Philologo XI. p. 164 quaedam sed alia in hac ipsa sectione suppositicia videntur; vulgo enim legitur Φυγόντες γὰρ ἐνθένδε καὶ οὐ συλληφθέντες γε (MS. δὲ) οὐδ' ὑπομείναντες τὴν κρίσιν, κατελθόντες ἀπὸ Φυλῆς τιμῶνται ὑφ' ὑμῶν ὡς ἄνδρες ἀγαθοὶ ὄντες, in quibus verba diductis litteris expressa eiicienda putat. Fateor equidem totum locum esse verbosum; verum ita ab oratore relictum esse neglegens structura indicare videtur. Anacoluthia enim inest, quam frustra Herwerdenus mihi removere conari videtur. Ita terminari periodus debebat οἱ δ' αὐτῶν, περιγενόμενοι καὶ σωθέντες, Φυγόντες τιμῶνται ὑφ' ὑμῶν ὡς ἄνδρες ἀγαθοὶ ὄντες. Nunc interpositis quibusdam, in quibus ἡ δὲ τύχη καὶ ὁ δαίμων περιεποίησε, postrema, quae apodosin efficere debebant, apposito γάρ simul tanquam causa illius effati afferentur; in quo non magis offendo quam in oppositione protasis et apodosis per δέ, quae, praecipue post οὗτος, ita frequens est, ut nemo facile in ea haesurus sit (sic ἀλλά Isocr. 16. 36). Quod proposuit Herwerdenus οἱ δ' αὐτῶν περιγίγνονται σωθέντες (aut ἔνιοι) omnes nervos orationis elidit, compositis cum οἱ μὲν μείζω τὴν πόλιν παρέδοσαν, οἱ δὲ οὐδεπώποθ' οὐδεμίαν αἰτίαν αἰσχρὰν ἔσχον, frigidis illis οἱ δὲ περιγίγνονται, quae minime caput rei continent. — Doct. Halbertsma, Bijdragen tot de kennis der Nederlandsche Gymnasiën, 1862—1863, p. 164 praeter illa quae Kaysero et Herwerdeno supposita videntur, etiam eiicit Φυγόντες γὰρ ἐνθένδε καὶ. Mihi consulto participia cumulasse videtur orator.

§ 64. Tales, tam egregios cives, pergit orator, iste hinc exsules abegit (Φυγάδας ἐντεῦθεν ἐποίησε cf. supra pag. 81); ipse qualis tandem est? Oportet me vos certiores facere, servum illum et ex servis natum esse. Τούτῳ μὲν γὰρ πατὴρ ἦν Εὐμάρης, ἐγένετο δ' ὁ Εὐμάρης οὗτος Νικοκλέους καὶ Ἀντικλέους. Καί μοι ἀνάβητε μάρτυρες. Vereor, ne idem qui pan-

num alieno loco in proximis (§ 65, 66) assuit (de quo cf. Hamaker, Rauchenstein, Scheibe) hic quoque verba notata de suo inferserit. Servorum, qui *sine patre* sunt, patrem indicare subinde difficile, multo magis avos et avias; et homo obscurus sic quodammodo nobilitatur.

§ 67. *Ἦσαν τοίνυν οὗτοι — τέτταρες ἀδελφοί. τούτων εἷς μὲν ὁ πρεσβύτερος ἐν Σικελίᾳ παραφρυκτωρευόμενος τοῖς πολεμίοις ληφθεὶς ὑπὸ Λαμάχου ἀπετυμπανίσθη.* Pro comparativo iure Bakius *πρεσβύτατος* desideravit. Nam quod Westermannus (l. l. p. 19) comparativum excusari posse putat, si Agoratum, cum quo illi comparentur, secundum natu fuisse ponamus, non assentior. Deinceps enim de *secundo* et *tertio* (*τὸν δὲ τρίτον* § 68) non de tertio et quarto agitur. Agoratus tribus reliquis opponitur, ex quibus maximus natu est qui primus nominatur. De confusis comparativo et superlativo quaedam attuli in diss. de antiqu. Aeschyli interpretibus p. 113; cf. Elmsleius ad Eur. Med. 67. Post *παραφρυκτωρευόμενος* additamentum *τοῖς πολεμίοις* inutile est; omnis enim *παραφρυκτώρευσις* in commodum hostium fit. Vitium utique Suida antiquius est. Cf. Suid. vv. *φρυκτός* et *παραφρυκτωρευόμενος*.

§ 72. Propter Phrynichum necatum Thrasybulus et Apollodorus civitate donati olim sunt. Eam caedem falso a se perpetratam gloriatur Agoratus; nam si eius laudis partem iure sibi vindicare posset et propterea civitate donatus fuisset, eodem decreto cum Thrasybulo et Apollodoro eius nomen contineretur: *ἔδει αὐτὸν ἐν τῇ αὐτῇ στήλῃ, ἵνα περ Θρασύβουλον καὶ Ἀπολλόδωρον, Ἀθηναῖον πεποιημένον . . . τὰ μέντοι ὀνόματα διαπράττονται τὰ σφῶν αὐτῶν, δόντες ἀργύριον τῷ ῥήτορι, προσγραφῆναι εἰς τὴν στήλην ὡς εὐεργέτας ὄντας. καὶ ὡς ἀληθῆ λέγω, τοῦτο τὸ ψήφισμα ἐλέγξει.* Post *πεποιημένον* aliquid intercidisse hodie ita constat, ut quaerendum tantum sit quae omissa sint. Non esse potest in postremis (*τὰ μέντοι*) sermo de eo quod fieri soleat, quod magnis verborum ambagibus evincere conatus est Reiskius in variet.

lect. vol. VI. p. 690, sq.; nihil enim attinebat publicarum tabularum fidem subvertere, si nihil illae continerent, quod Agorati causae faveret; oratoris sententia haec esset: „per-„scriptum est in columna Thrasybulum et Apollodorum civi-„tate esse donatos; quamquam quid confidimus tabulis pu-„blicis?" Quod quam sit alienum ab oratoris proposito quisque videt. Quum nihilominus de pluribus sermo sit non potuit unus Agoratus significari sed post πεποιημένον nomen vel nomina alia praeterea omissa sunt. Etiam ex marmoris cuiusdam reliquiis, quas Bergkius primus in Zeitschr. f. d. Alterthw. 1847, p. 1099 vidit partes huius psephismatis continere (cf. Kirchhoff, Philol. vol. XIII. 1858 p. 14, sqq.) Agoratus cum aliis memorari videtur; linea enim 27 αὐτοῖς legimus, postquam l. 23 ἀγορατο et 25 εὐεργέ(τας) praecessit. Igitur post πεπ. excidisse videtur σὺν... (hominis nomen ignotum est) γεγράφθαι. Tum quaedam sequebantur in hanc sententiam: „atque haec illi tentaverunt sane; sed frustra." Quo praemisso bene sequebatur: τὰ μέντοι ὀνόματα διαπράττονται — προςγραφῆναι εἰς τὴν στήλην ὡς εὐεργέται ὄντες (ita enim pro εὐεργέτας ὄντας leg.) Τῷ ῥήτορι non sollicitaverim; significatur enim is qui ad populum tulerat, cuius nomen decreto praescriptum erat; is fraude nomina Agorati et alterius illius nunc ignoti decreto, antequam lapidi insculperetur, addiderat, quasi de iis quoque tulisset.

§ 86. Undecimviri causam ἀπαγωγήν se recepturos negaverant, nisi in formula accusatoris adderentur verba ἐπ' αὐτοφώρῳ. Ei monito audiens fuerat accusator Dionysius, certius damnationem imminere eo additamento ratus. Sed Agoratus speciose nihil nunc illam accusationem ad se pertinere contendit, quod ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensus non esset. Iam demonstraturus orator animo in Agoratum infenso undecimviros Dionysio suasisse, ut adscriberet ἐπ' αὐτοφώρῳ, his verbis utitur: δοκοῦσι δ' ἔμοιγε οἱ ἕνδεκα, οἱ παραδεξάμενοι τὴν ἀπαγωγὴν ταύτην, οἰόμενοι Ἀγοράτῳ συμπράττειν τότε καὶ διισχυριζόμενοι σφόδρα ὀρθῶς ποιῆσαι Διονύσιον, τὴν ἀπαγωγὴν ἀπά-

γειν ἀναγκάζοντες, προςγράψασθαι τότε ἐπ' αὐτοφώρῳ. Undecimviri non dici possunt *iubere* causam ad suum iudicium deferri; nemini tale quid praescribi potest in civitate, ubi ὁ βουλόμενος accusat, nedum ab eo qui iudicium ipse exercet; possunt vero iudices, dum reiiciunt causam, simul monere quid in formula accusatoris mutandum sit. Hoc verbo ἀναγκάζειν significatur; tale monitum vim habet iussi; cf. Isaei locum a Rauchensteinio adscriptum 10. 2: ἠνάγκασμαι τὴν μητέρα τὴν ἐμὴν πρὸς τῇ ἀνακρίσει 'Αριστάρχου εἶναι ἀδελφὴν προςγράψασθαι. Non autem iungi potest οἱ ἕνδεκα, ἀπάγειν ἀναγκάζοντες δοκοῦσι προςγράψασθαι, quo facto ipsi dicerentur fecisse quae actoris sunt, sed cohaerent verba ἀναγκάζοντες προςγράψασθαι. Iam vero infinitivus ἀπάγειν tolerari non poterit sed pro eo substituendum videtur ἀπάγοντα. Porro οὐκ ante οἰόμενοι quin addendum sit minime dubito; suae enim causae ipse officeret, si undecimviros Agorato favisse fateretur; atque ita iam Taylorus et Marklandus. Verum si οὐκ est addendum, vix καὶ διισχυριζόμενοι locum suum tueri poterit; pro eo Sauppius et Rauchenstein. ἀλλὰ διισχ. substituunt; sed ipsum verbum διισχυρίζεσθαι supra § 85 bis, et rursus infra § 88 lectum hoc quidem loco non apte videtur de iudicibus dictum, quorum non est asseverare et propugnare sed simpliciter proponere sententiam. Quare legendum fere putaverim: δοκοῦσι δ' ἔμοιγ' οἱ ἕνδεκα, οἱ παραδεξάμενοι τὴν ἀπαγωγὴν ταύτην, οὐκ οἰόμενοι 'Αγοράτῳ συμπράττειν τότε [καὶ διισχυριζόμενοι], σφόδρ' ὀρθῶς ποιῆσαι, Διονύσιον τὴν ἀπαγωγὴν ἀπάγοντ' ἀναγκάζοντες προςγράψασθαι τὸ ἐπ' αὐτοφώρῳ, „videntur mihi undecimviri, qui admiserunt „hanc delationem, non putantes se tum Agorato favere, op„time fecisse, quod Dionysium delationem deferentem coege„runt adscribere illa ἐπ' αὐτοφώρῳ." Sequentia egregie sanavit Herwerdenus: ἐπ' αὐτοφώρῳ (haec verba repetit) δὲ πῶς οὐκ ἂν εἴη, εἴ τις πρῶτον μὲν, κ. τ. ἑ., tum οὐ γὰρ δήπου τοῦτο μόνον νοεῖ τὸ ἐπ' αὐτοφώρῳ, κ. τ. ἑ. „non enim hoc sibi vo„lunt verba illa ἐπ' αὐτοφώρῳ, si quis baculo quem aut gladio

„percusserit." Ἐπεὶ ἔκ γε τοῦ σοῦ λόγου, pergit orator, οὐδεὶς φανήσεται ἀποκτείνας τοὺς ἄνδρας. In his legendum ἔκ γε τούτου τοῦ λόγου, quod Halbertsma quoque proponit l. l.; „nam secundum hanc rationem nemo manifesto (φανήσεται) „hos viros interfecerit." Quamquam vel sic manca est et debilis haec ratiocinatio: „si ἐπ' αὐτοφώρῳ tantum est gladio „percutere, nemo hos ἐπ' αὐτοφώρῳ interfecit, *igitur* nemo „*aperte* interfecit." In quibus callide permiscet duas significationes verborum ἐπ' αὐτοφώρῳ, ut ostendat adversarium, negantem ἐπ' αὐτοφ. interfectos esse viros, statuere ne interfectos quidem esse. Huius subineptae argumentationis culpam in MSS. tantum coniicere non videtur; mirum enim foret, si hoc et similibus locis ubi claudicat argumentatio magis quam reliquis librarii erravissent. Multa sunt iis locis ita callide excogitata, ut ipsis fallaciis librariorum captum superent. Igitur hoc quoque loco aliquid ipsi oratori adscribendum videtur, qui per callidam ratiocinationem fucum auditoribus facere conatur. Cavillatur duplici significatione verborum ἐπ' αὐτοφώρῳ adhibita, quae modo significant *ante omnium oculos*, *flagranti crimine*, modo *sine dubio, ut nulla dubitatio supersit*, et quasi de re certissima, de qua nemo sanus dubitaverit, agatur, interrogationem hanc proponit οὐκ οὖν (si perstas negare)· ὁ αἴτιος τοῦ θανάτου, οὗτος ἐπ' αὐτοφώρῳ ἐστίν; Sane, respondeo, si ἐπ' αὐτοφώρῳ est: *id de quo non dubitari debet;* sin vulgari accipias significatione (*in flagranti crimine*) negandum est. Tum addit: Τίς οὖν ἄλλος αἴτιος ἢ σὺ ἀπογράψας; ὥστε πῶς οὐκ ἐπ' αὐτοφώρῳ σὺ εἶ ὁ ἀποκτείνας; Quasi per syllogismum: omnis auctor mortis est ἐπ' αὐτοφώρῳ; iam vero tu es auctor, qui denunciavisti; igitur idem es ἐπ' αὐτοφώρῳ. Sed postrema aliquatenus immutavit, addens ὁ ἀποκτείνας i. e. quare is qui hos interfecit ἐπ' αὐτοφώρῳ (manifesto) quis alius est quam tu? (De forma enunciatonis cf. ad 6. 13). Ita demonstravit scilicet Agoratum lege de caede ἐπ' αὐτοφώρῳ commissa teneri! Herwerdenus cum Dobreo eiicit verba οὐκ οὖν ὁ αἴτιος τοῦ θανάτου,

*οὗτος ἐπ' αὐτοφώρῳ ἐστίν;* Sed ita sequentia etiam mutanda erunt addito *θανάτου*. *Οὗτος*, *hic et nemo praeterea*. Dem. 18. 159: *ὁ γὰρ τὸ σπέρμα παρασχών, οὗτος τῶν φύντων κακῶν αἴτιος*. 21. 24: *τοῦ δικαίαν καὶ εὔορκον θέσθαι τὴν ψῆφον ὁ κωλύσας ἐξαπατηθῆναι λόγος ὑμᾶς, οὗτος αἴτιος ἔσται*. Plat. Prot. 350. C: *καὶ ἐκεῖ αὖ οἱ σοφώτατοι, οὗτοι καὶ θαῤῥαλεώτατοί εἰσιν*. Cf. etiam infra § 94. Halbertsma postrema *ὁ ἀποκτείνας* omittit. Mihi secundum explicationem propositam mutatio necessaria non videtur. Ad *ἀναγκασθέντες ἀπέθανον* cf. § 45 *ἠναγκάζοντο αἰσχίστῳ καὶ ἀκλεεστάτῳ θανάτῳ ἀπόλλυσθαι*. Ceterum verba *ἐπ' αὐτοφώρῳ* saepe *καταχρηστικῶς* usurpata fuisse ut *palam*, *manifesto* significarent, optime demonstrat Rauchenstein. in prooemio ad hanc orationem.

§ 91. *τὸν δὲ δῆμον, ὃν αὐτός φησι πατέρα αὑτοῦ εἶναι, φαίνεται κακώσας, καὶ ἀφεὶς καὶ προδοὺς ἐξ ὧν ἐκεῖνος μείζων καὶ ἰσχυρότερος ἐγίγνετο*. Constanti usu *ἀφιέναι τινά* est *absolvere aliquem*, quare *ἐξ ὧν* est *ταῦτα ἐξ ὧν* non *τούτους ἐξ ὧν*. Clarius ab oratore scripta haec fuisse, lectio codd. docet, in quibus est *προδόντα*, unde quantocius reponendum *προδοὺς πάντ'*. Interciderunt cum aliis in vicinia (cf. sectionis initium) quatuor litterae: *υσπα* (*προδο .... ντα*). Lectius fuerit *προδοὺς τὰ ἐξ ὧν*. Cf. Plat. Phileb. 21. C. *ζῆν οὐκ ἀνθρώπου βίον ἀλλὰ τῶν ὅσα θαλάττια ἔμψυχά ἐστιν*. Protag. 320. C. *ἐκ γῆς καὶ πυρὸς μίξαντες καὶ τῶν ὅσα πυρὶ καὶ γῇ κεράννυται*. Cf. Phaedr. 239. B. Vid. Ast. ad Legg. p. 242 ex illis libris nubem exemplorum adducentem. Lys. 23. 8: *καὶ τὸν ὃς ἔφη δεσπότης τούτου εἶναι*, si locus sanus est. Nam apud oratores haud scio an nihil simile inveniatur praeter notissimum illud *προσήκει μισεῖν τοὺς οἷόσπερ οὗτος*, Dem. 22. 64. Dubia igitur emendatio est Herwerdeni in Lyc. 32. *τοὺς* [*οἰκέτας*], *οἵ*. Ad *ἀφιέναι τι* (*negligere*) cf. Dem. 18. 149: *πάντα τἄλλ' ἀφεὶς καὶ παριδὼν ἐπέραινεν ἐφ' οἷς ἐμισθώθη*, et sic *καιρὸν ἀφιέναι* 1. 7 et alibi. Vide tamen num propter notam librorum Lysiae MSS. corruptionem probabile sit oratorem dedisse: *φαίνεται κακώσας, καθυφεὶς καὶ προδοὺς πάντ' ἐξ ὧν ἐκεῖνος μείζων ἂν καὶ ἰσχυ-*

ρότερος ἐγίγνετο. Ex καθυφεὶς facile καὶ ἀφεὶς exsistere potuit. Dem. 19. 6. (καιρὸν), ὃν ἄν τις ἑκὼν καθυφῇ τοῖς ἐναντίοις καὶ προδῷ. (Dem.) 58. 6 καθυφιέναι τὰ τῆς πόλεως. Alia, ubi καθυφ. est *prodere*, *negligere*, lexica facile suppeditabunt. Ἂν aegre desidero, quod tum, quum viros deferebat iste, civitas non potestate crescebat re vera, sed per eos facile potuisset.

§ 94. καὶ οὕτως ἂν δεινότατα πάντων πάθοιεν, εἰ οἷς ἐπέσκηπτον ἐκεῖνοι ὡς φίλοις οὖσι τιμωρεῖν ὑπὲρ αὐτῶν, οὗτοι ὁμόψηφοι κατ' ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν τοῖς τριάκοντα γενήσονται. Languent verba τῶν ἀνδρῶν; ac fortasse totum illud κατ' ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν eiiciendum, utpote alieno loco illatum ex sequenti sectione. Augerius malebat καθ' αὐτῶν, quod non necessarium puto.

§ 97. ἐὰν οὖν τὰ ἐναντία τοῖς τριάκοντα ψηφίζησθε, πρῶτον μὲν οὐχ ὁμόψηφοι γίγνεσθε, ἔπειτα τοῖς ὑμετέροις αὐτῶν φίλοις τετιμωρηκότες ἔσεσθε, ἔπειτα τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις δόξετε δίκαια καὶ ὅσια ψηφίσασθαι. Haec sic ferri non posse, consentiens est paene omnium editorum sententia. Videntur haec, in fine orationis posita, in archetypo partim evanida, deinde male correcta esse. Nam οὐχ ὁμόψηφοι γίγνεσθε, omisso dativo, significaret: „non communia fertis suffragia" vel „non inter vos consentitis." Praesens γίγνεσθε non aptum est. Ἔπειτα bis positum languet; quod vocabulum saepius deinceps poni absurdus sit qui neget, sed fit illud in enumeratione rerum aut momentorum diversorum quasi ad memoriam iuvandam, sed plane alienum est ab epilogo, qui commotior esse debet; itaque loco a Rauchensteinio laudato Xen. CP. I. 3. 14, cui facile alii addi possent, nihil probatur. Haec consideranti non improbabile mihi videtur verba ἔσεσθ' ἔπειτα a margine in alienum locum illata esse; quum pro γίγνεσθ' ἔπειτα vera lectio ἔσεσθ' ἔπειτα in margine adscripta esset, haec posteriora verba non in locum priorum substituta fuerunt, sed male post τετιμωρηκότες posita. Porro qui codicis archetypi verba vix potuit legere, ut ipse ad γίγνεσθ' ἔπειτα adscriberet ἔσεσθ' ἔπειτα, is duo verba omisit, quae iuxta posita plane evanuerant. Haec igitur fuit forma huius

ἔσεσθ' ἔπειτα

loci οὐχ ὁμόψηφοι .... γίγνεσθ' ἔπειτα. Quare scribendum ἐὰν οὖν τἀναντία τοῖς τριάκοντα ψηφίζησθε, πρῶτον μὲν οὐχ ὁμόψηφοι τοῖς ἐχθροῖς ἔσεσθ', ἔπειτα τοῖς ὑμετέροις αὐτῶν φίλοις τετιμωρηκότες, τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις δόξετε δίκαια καὶ ὅσια ψηφίσασθαι. Pro ψηφίζησθε ψηφίσησθε substituere non necesse est. Neglegentiores subinde Graeci quam Latini in temporum consecutione observanda sunt; cf. Dem. 24. 143: εὖ δ' ἴστε ὅτι ἐὰν μὲν σφόδρ' ὀργίζησθ' ἧττον ἀσελγανοῦσι. Arist. Plut. 112: ὡς ἂν εἰδῇς ὅσα, παρ' ἡμῖν ἢν μένῃς, γενήσετ' ἀγαθά. Ran. 792: κἂν μὲν Αἰσχύλος κρατῇ, ἕξειν κατὰ χώραν. Plat. Prot. 360 A: τοῦτ' ἐὰν ὁμολογῶμεν, διαφθεροῦμεν τὰς ἔμπροσθεν ὁμολογίας. Lys. 27. 9: οὐ τοῦτο δέδοικα, ὡς ἐὰν ἀκροᾶσθε αὐτῶν ἀποψηφιεῖσθε. Id. 25. 17: ἐὰν ἀδικῶ, παραχρῆμα δώσω δίκην. Id. 30. 33: ἄνδρες ἀμείνους δόξετ' εἶναι, ἐπὰν δίκην λαμβάνητε. Alia attuli in gramm. § 57, ann. 44.

## XIV. ΚΑΤ' ΑΛΚΙΒΙΑΔΟΥ Α'.

§ 4. Εἰκὸς τοίνυν ἐστίν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἐξ οὗ τὴν εἰρήνην ἐποιησάμεθα πρῶτον περὶ τούτων νυνὶ δικάζοντας μὴ μόνον δικαστὰς ἀλλὰ καὶ νομοθέτας αὐτοὺς γενέσθαι, εὖ εἰδότας ὅτι κ. τ. ἑ. Non fiebant iudices re vera legislatores sed agere eos oportebat, quasi essent; utile erat *putare* eos se nunc ius constituere i. e. αὐτοὺς ἡγεῖσθαι. Alibi (ad 12. 33) αὑτοῦ pro σεαυτοῦ defendi; largam copiam exemplorum habet de Gaay Fortman, in Syntaxi Graeca (Amst. 1846) p. 106. Qui illum usum non concoquunt facili negotio haec alia ratione suo palato accommodabunt. Ἡγεῖσθαι utique necessarium mihi videtur.

§ 7. Una lex erat secundum hunc locum de delictis in bello commissis. Sed ea lex duo capita continebat § 6: περὶ ἀμφοτέρων κεῖται καὶ ὅσοι ἂν μάχης οὔσης εἰς τοὐπίσω ἀναχωρήσωσι, καὶ ὅσοι ἂν ἐν τῇ πεζῇ στρατιᾷ μὴ παρῶσι. Aeschines quidem (Ctes. 175: ὁ γὰρ Σόλων ὁ παλαιὸς νομοθέτης ἐν τοῖς

*αὐτοῖς ἐπιτιμίοις ᾤετο δεῖν ἐνέχεσθαι τὸν ἀστράτευτον καὶ τὸν λελοιπότα τὴν τάξιν καὶ τὸν δειλὸν ὁμοίως*) tria distinguit crimina; quae paulo post alio recenset ordine: *τὸν ἀστράτευτον καὶ τὸν δειλὸν καὶ τὸν λιπόντα τὴν τάξιν.* Et Andoc. 1. 73: *ὁπόσοι λίποιεν τὴν τάξιν, ἢ ἀστρατείας ἢ δειλίας ἢ ἀναυμαχίου ὄφλοιεν, ἢ τὴν ἀσπίδα ἀποβάλοιεν.* Sed in his rhetorica quaedam *δείνωσις* est; omnia enim ad duo illa capita revocanda sunt, quorum prius (*ἀστρατεία*) complectitur eos qui nomina non dant; alterum (*δειλία*) eos qui militiam deserunt; *λιποταξίου* nomen generale est et commune utriusque criminis. Itaque cum *ἀστρατείᾳ* componitur a Lycurgo Leocr. § 147: *λιποταξίου δὲ καὶ ἀστρατείας οὐ παρασχὼν τὸ σῶμα τάξαι τοῖς στρατηγοῖς.* Et de deserta militia saepius est apud Dem. in Midiana veluti § 164 ubi Midiae, qui navi simul praefectus et hipparchus erat, obiicit, quod ea parte belli semper militabat, ubi minus erat periculum. Ad *δειλίαν* pertinet *τὸ ῥίψασπιν εἶναι.* Sic Aeschines in Timarchea § 29 *τὴν ἀστρατείαν* exponens verbis *τὰ ὅπλα μὴ τίθεσθαι ὑπὲρ τῆς πόλεως,* pro *τὴν ἀσπίδα ἀποβεβληκέναι* tanquam *ἰσοδυναμοῦν* substituit: *διὰ δειλίαν μὴ δυνατὸν εἶναι ἐπαμῦναι.* *Ἀναυμαχίου* idem fuisse in militia navali quod *ἀστρατεία* fuit in terrestri apparet. Omnia igitur quae constituunt *λιποτάξιον* ab Andocide commemorata ad alterutrum caput pertinent. Et sic demum Lysias § 7 dicere potuit Alcibiadem solum omnium Atheniensium, quum *ἀστρατείας* et *δειλίας* posset accusari, contra *totam* legem peccasse. Nulla igitur causa est cur cum librario cod. C. *λιποταξίου* mentionem iterum § 7 desideremus, ubi quum in X sit: *ἀστρατείας μὲν γὰρ δικαίως ἂν αὐτὸν ἁλῶναι ὅτι ὁ κ α τ α λ έ γ ε ι ς ὁ π α τ ή ρ οὐκ ἐξῆλθε μεθ' ὑμῶν,* Laurentianus C dedit *οὐ κατελέγη, λειποταξίου δὲ ὅτι,* nimirum quod inscriptio *λειποταξίου* haberet idque commode pro corruptis substitui posse videretur. Sed egregie Stephanus emendavit Palatinum: *ὅτι καταλεγεὶς ὁπλίτης.* Nam ΟΠΑΤΗΡ et ΟΠΛΙΤΗΣ vix inter se differunt. Minus feliciter correxit idem finem § 7, ubi X habet: *δειλίας δέ, ὅτι δεῖ ἕκαστον*

*μετὰ τῶν ὁπλιτῶν κινδυνεύειν, ἱππεύειν εἵλετο*, Stephanus scribendum putavit *δεῖν* (= *δέον*) *ἕκαστον*. Cf. Koen. ad Greg. de Diall. p. 60. Sed vereor ne editores qui hodieque magno consensui veterum grammaticorum obtemperent, hanc formam Atticis asserentibus, imponi sibi patiantur falsa analogia; neque enim conferri potest *πλεῖν* quod ex *πλεῖον*, non ex *πλέον* exstitit, et facile intellegitur quomodo veteres tale quid propagare potuerint; fuerunt enim sine dubio qui in formula *πολλοῦ δεῖν* posterius vocabulum participium existimarent. Redeundum igitur videtur ad corruptam lectionem *δεῖ ἕκαστον*. In qua agnosco dittographiam. K et IC quoties confusa sint (ut in *σκύφος* et *Σίσυφος*) nemo nescit. Exime ex ΔΕΙΕΙCΑC (*δεῖ ἕκασ*) litteras vitio bis positas ΕΙ, et supererit me iudice bona et vera lectio, *ὅτι δείσας μετὰ τῶν ὁπλιτῶν κινδυνεύειν, ἱππεύειν εἵλετο.* Ceterum quod Bergk. et Cobetus dederunt pro *ὁ πατήρ*: *οὐ παρῆν*, amplecterer, si alias mutationes haec lectio non postularet.

Mira est lectio § 2 *ὥστ' ἐπινικίοις ὧν οὗτος φιλοτιμεῖται τοὺς ἐχθροὺς αἰσχύνεσθαι.* Unus, quod sciam, hanc lectionem defendit Kayserus, Philol. XI (1856) p. 163, nescio quomodo haec interpretatus. Reliqui editores cum Reiskio *ἐπ' ἐνίοις* nunc probant; mihi aliquanto probabilius Taylorus coniecisse videtur *ἐπ' ἐκείνοις*, unde quum per itacismum admodum frequenti errore exstitisset *ἐπεκινοις* vel *ἐπιεκινοις* (cf. ad 10. 24, passim copiose de eo Cobetus in V. et N. L.), transpositione litterarum corruptum *ἐπινικοις*, tandem *ἐπινικίοις* natum est. Ad *φιλοτιμεῖσθαί τι* cf. Xen. Hell. I. 6. 5: *πρὸς ἃ ἐγώ τε φιλοτιμοῦμαι καὶ ἡ πόλις ἡμῶν αἰτιάζεται συμβουλεύετε.* Oecon. 4. 24: *ἀεὶ ἕν γέ τι φιλοτιμούμενος.*

§ 9. *ἀλλ' ἐβουλήθη καὶ ἄτιμος εἶναι, καὶ τὰ χρήματ' αὐτοῦ δημευθῆναι.* Ne quis desideret *τὰ αὑτοῦ* cf. infra 31. *εἴθισται λέγειν ὡς οὐκ εἰκός ἐστι τὸν μὲν πατέρ' αὐτοῦ κατελθόντα δωρεὰς λαβεῖν.* Contra 28. 17 bis *αὐτοῖς* scribitur, quamquam fortasse minus recte. Infra § 23 *αὑτοῦ* usurpatur in oppositione et legitime. De pronomine *οὗτος* similiter usurpato monitum est supra.

§ 10. *καὶ ἕτεροι μὲν οὐδεπώποτε ὁπλιτεύσαντες, ἱππεύσαντες δὲ* (sic nunc plerique editorum ex Palat. *ἵππου ὄντες δέ*, pro quo C ex correctione, ut videtur: *ἔφιπποι δὲ ὄντες*, nisi ibi legitur *ἐφ' ἵππου δὲ ὄντες*) *καὶ τὸν ἄλλον χρόνον καὶ πολλὰ κακὰ τοὺς πολεμίους πεποιηκότες*. Scheibius cum aliis huic loco medetur omisso *καί* ante *τὸν ἄλλον χρόνον*. Sed alterum *καί* potius mihi suspectum est. Fortasse *καὶ τὸν ἄλλον χρόνον πολλὰ καὶ κακὰ τοὺς πολεμίους πεποιηκότες*. — *Ἀναβαίνειν ἐπὶ τοὺς ἵππους* (addito articulo), quod paulo post legitur, aliquoties etiam in or. 24, velut § 11, posuit Lysias, et 16. 13 et Andocides 1. 44.

§ 25. *Οὗτος γὰρ παῖς μὲν ὢν παρ' Ἀρχεδήμῳ τῷ γλάμωνι πολλῶν ὁρώντων ἔπινε μὲν ὑπὸ τῷ αὐτόματι κατακείμενος, ἐκώμαζε δὲ μεθ' ἡμέραν.* Ingeniose Bergkius pro *αὐτόματι* coniecit *ἀετώματι*. Neque offendere debet, quod *ἀετώματα* vulgo templorum, non privatarum domuum erant; nam ita haec emendatio ratione palaeographica commendatur, ut potius ex ea loquendi usus debeat effici, quam propter aliunde notum morem aedificandi coniectura improbari. Nemo enim negabit in magna diversitate domuum fieri potuisse, ut subinde aedes privatae fastigium aliquod aut partem, quae cum eo posset comparari, habuerint. Et aliquot certe eius rei vestigia tenuia remanserunt. In Arist. Av. v. 1110 chorus avium ad iudices: *τὰς γὰρ ὑμῶν οἰκίας ἐρέψομεν πρὸς ἀετόν.* Quo loco etsi domus privata comparatur cum templo, tamen apparet partem quandam domus propter similitudinem sive metaphorice sive *καταχρηστικῶς* appellari *ἀετόν*. Apud Hippocratem de Articulis p. 808. F memoratur *ἀέτωμα οἴκου*, quod Pollux, Erotianus, Galenus existimant esse prominentem tecti partem, quae imbrem arceat, *τὴν στεφάνην τοῦ δώματος* (cf. Foesius Oec. Hipp. i. v.). Sed illo loco cogitari non potest de parte domus quae in publicum spectaret; nostro loco verba *πολλῶν ὁρώντων* docent Alcibiadem et Archedemum e platea conspici potuisse. Itaque oratorem opinor significare propylaeum domus, quod columnis subinde

instructum (cf. Guhl u. Koner, das Leben der Griechen u. Römer, I. p. 85) similitudinem templi habebat. In eo, morem vulgarem spernens et praetereuntibus fortasse insultans, cum Archedemo consedit Alcibiades. Pro ἔπινε μέν, quod ex coniectura positum est, Palatinus habet ἔτι μέν. Ex quo non ἔπινε μέν, sed simpliciter ἔπινεν (crebra commutatione litterarum M et N corruptum) reponendum censeo. Μέν enim, oppositis πολλῶν ὁρώντων ἔπινε et ἐκώμαζε μεθ' ἡμέραν, alio ponendum erat loco. Laurentianus ex manifesta correctione habet (omissis ἔτι μέν): νυκτός τε ὑπὸ τῷ αὐτῷ οἰκήματι κατακείμενος καὶ ἐκώμαζε μεθ' ἡμέραν. Turpe est κωμάζειν μεθ' ἡμέραν, nec ulla noctis oppositione opus est ut verba μ. ἡ. defendantur. In fine sectionis pro δόξει εἶναι reponendum fortasse δόξειεν εἶναι restitutis litteris εν quae ante εἶναι facile potuerunt excidere.

§ 26. καίτοι ποῖόν τινα χρὴ [αὐτὸν] ὑφ' ὑμῶν νομίζεσθαι [εἶναι], ὅστις κἀκείνῳ τοιαῦτ' ἐπιτηδεύων διεβέβλητο. Mihi hic locus nimis verbosus esse videtur, quam ut sic ab oratore eum profectum putem, cui vitio remotis verbis inductis medebere.

Res, de qua hac sectione agitur silentio historicorum admodum obscura est. Nomen Ornearum faceret, ut cogitaremus de iis temporibus, quibus de principatu in Argolide certabant Lacedaemonii et Athenienses, alteri optimatibus, alteri populari factione nixi, anno 417 et sequenti. Et posteriore Orneae dirutae, neque eius oppidi postea in historia belli Peloponnesiaci mentio iniicitur. Cf. Thuc. VI. 7. 3.[1]) Orneatae in pugna Mantineensi a. 417 stabant a partibus Argivorum et Atheniensium; eos in conversione, quae paulo post facta est, cum Argivis animos ad Spartanos inclinasse, etsi Thucydides non diserte memorat, probabile tamen est, quod pax et societas initae sunt ab Argivis et sociis. Cf. Thuc. V. 77 et 79. Sed ea societas Argivorum cum Spartanis non stabilis fuit populari rursus factione rerum potiente.

---

1) Urbs tempore belli Phocensis erat restituta. Cf Diod. Sic. XVI. 34 et 39.

Tum Alcibiades (pater) res Atheniensibus conciliat (cf. 84). Veruntamen Orneae paulo post (a. 416) favent Spartanis; nam exules optimates Argivorum, qui res ad Spartanos trahere studebant, eo a Spartanis tanquam in oppidum foederatum mittuntur (cf. VI. 7). Fieri igitur potuit ut Orneae a filio Alcibiade, patre Argis praesidente, Lacedaemoniis proditae fuerint; et sic explicari aliquatenus posset lectio Palatini ὀρνεούς, quod manifesto ducit ad Ὀρνεάς. Sunt tamen alia quae prohibeant. Nam quod dicit filium a patre μεταπεμφθῆναι facit ut de exsilio patris cogites, aut de expeditione, in quam procul a domo profectus esset. Quorum neutrum ante res Orneis a. 416 gestas cogitari potest; tum cum morte patris in sequentibus haec ita copulat orator, ut non multum temporis inter hanc et filii profectionem interfuisse possit. Alcibiades autem pater mortuus est a. 404. Mitto nunc quae de filii aetate aliunde constant, de quibus postea videndi locus erit. Reliqua iam satis demonstrare videntur Orneas hic non significari. Contra iis quae facta sunt sub finem belli Peloponnesiaci, quum Alcibiades post Antiochi temeritatem imperio ipsi abrogato suo marte in Thrace bellum gereret, Lysiae verba optime accommodata sunt. Ibi iam ante prope Bisanthen castellum perfugio sibi exstruxerat, et quo tempore pugna ad Aegos Potamos facta est in Cherseneso Thracia versabatur. Cf. Plut. Alc. c. 36 et passim, Xen. Hell. I. 5. 17. Eo tempore, anno 407 aut sequenti filius a patre arcessitus est (μετεπέμφθη) sive ut illi Athenas in posterum non redituro auxilio esset in bello, sive, ut orator noster minus sane probabiliter dicit, propter vitae turpitudinem. Ab eo tempore ad mortem patris tres anni sunt, quibus in vinculis apud hostes fuisse filium nihil est quod credere prohibeat. Quem vero locum prodiderit et quibus, regulisne Thraciae an Lacedaemoniis frustra, opinor, quaeritur. Tantum apud me constat nomen eius, cui oppidum prodiderit, excidisse. Sententia enim verborum μετὰ Θεοτίμου κ. τ. ἑ., de qua ambigi video, haec est: „quum cum

„Theotimo patri insidias strueret oppidum prodidit." Tum sequuntur: ὁ δὲ παραλαβὼν τὸ χωρίον, quod mirere de patre accipi potuisse; manifesto significatur dux ante nominatus. Is dicitur violasse eum, tum in vinculis tenuisse et pecuniam pro liberatione exegisse (εἰςεπράττετο). „Sed pater (ὁ δὲ „πατήρ) adeo illum oderat, ut ne mortui quidem ossa se „redemturum fuisse diceret." Nomen eius cui prodita fuit urbs post πατρί excidit, commixtisque utriusque nominis reliquiis corruptum ὀρνεούς in Palatino exstitit, quod in Laurentiano a librario e coniectura correctum in ὠρεούς.

§ 28. Ἱππόνικος δὲ πολλοὺς παρακαλέσας ἐξέπεμψε τὴν αὑτοῦ γυναῖκα, φάσκων τοῦτον ὡς οὐκ ἀδελφὸν αὐτῆς ἀλλ' ὡς ἄνδρα ἐκείνης εἰς τὴν οἰκίαν εἰςιέναι τὴν αὑτοῦ. Recte iam Marklandus pro αὐτῆς corrigendum censuit αὐτοῦ. Alcibiades maior uxorem duxerat Hippareten Hipponici filiam (cf. Plut. Alc. 8, Isoc. 16. 31), ex qua, si recte intellego hunc locum, duos suscepit filios, Alcibiadem iuniorem et Hipponicum, avi nomine dictum. Frater cum fratris uxore nimis arctam contrahebat familiaritatem. Porro pro ὡς οὐκ scribendum cum G. A. Hirschigio Misc. Philol. II. p. 135 οὐχ ὡς. Idem, αὐτῆς retinens, ἐκείνης delet. Ita Hipponici uxor esset soror Alcibiadis iunioris et nominis convenientia inter coniugem huius et avum Alcibiadis minoris fortuita esset. Prius probabilius videtur. — Sectione 29 inter μεταμέλει et οὔτε excidit fortasse οὐδέν.

§ 36. οὐ γὰρ δήπου, ὅτε μὲν ἔφευγε, διὰ τὴν δύναμιν κακῶς οἷός τ' ἦν ποιεῖν τὴν πόλιν, ἐπειδὴ δ' ὑμᾶς ἐξαπατήσας κατῆλθε καὶ πολλῶν ἦρξε τριήρων, οὔτε τοὺς πολεμίους ἐδύνατο ἐκ τῆς χώρας ἐκβαλεῖν, οὔτε, κ. τ. ἑ. Verba διὰ τὴν δύναμιν ad totam pertinent sententiam: „non enim factum est eius „gratia et opibus, ut extra urbem quidem aliquid posset, „in patria vero sua nihil," sive: non probat hoc eius potestatem quod, quum exsul aliquid potuisset, in patriam restitutus nihil valuit. Notabilis est illa verborum collocatio. Usitata esset οὐ γὰρ δήπου διὰ τὴν δύναμιν ὅτε μέν, κ. τ. ἑ.

§ 42. τοῖς δ' ἐκ θυγατέρων παῖδες γεγόνασιν. Haec quorsum spectent apparet ex fragm. orationis in Alc. de Domo (4, Scheib.) ap. Athen. XII. 534 F. Proxime superiora per δείνωσιν posita sunt. Cf. supra ad 28.

Male vulgo existimant Alcibiadem illum, in quem haec oratio composita sit, eundem esse, qui in Isocratis oratione de Bigis (or. 16) dicens inducatur. Illam enim causam qui oravit natus est anno 415. Cf. Isocr. l. l. 45: εὐθὺς γενόμενος ὀρφανὸς κατελείφθην τοῦ μὲν πατρὸς φυγόντος (a. 415) τῆς δὲ μητρὸς τελευτησάσης·[1]) οὔπω δὲ τέτταρα ἔτη γεγονὼς (a. 411 sub quadringentis) διὰ τὴν τοῦ πατρὸς φυγὴν περὶ τοῦ σώματος εἰς κίνδυνον κατέστην, ἔτι δὲ παῖς ὢν (annos natus undecim) ὑπὸ τῶν τριάκοντα ἐκ τῆς πόλεως ἐξέπεσον. Sed Alcibiades ille, qui est apud Lysiam, iam a patre, mortuo a. 404, domo arcessitus fuerat, quod infamem ageret vitam § 26; cumque patri insidiatus Oreos (?) proderet iam ὡραῖος ἐγεγόνει, ib. sub f. et usque ad patris mortem in potestate hostium erat. Statuendum est igitur Isocratis orationem non Alcibiadi minori sed alteri filio Alcibiadis Hipponico esse scriptam, de quo filio vide quae monemus ad § 28.

Hic igitur Alcibiades minor aliquot annis ante patris exilium (sub annum 425) natus Athenas reliquit a patre arcessitus agens annum fere duodevicesimum. Peiore etiam fortuna quam fide usus quum patris hostibus urbem in Thracia prodidisset a duce hostium in vinculis habitus adversam proditorum sortem expertus est. Ex custodia post patris demum mortem, eodem tempore quo triginta viri Athenis instituti sunt, ab amatore Archebiade redemtus est. Secutum est tempus Leucae actum, unde praedas agens mare propinquum infestabat § 27. Non potuit igitur interesse pugnae ad Aegos Potamos, gestae quum pater etiam tum viveret, ipse in vincu-

---

1) Redarguitur his Plutarchus, in vita Alc. c. 8 narrans Hippareten uxorem Alcibiadis mortuam esse εἰς Ἔφεσον τοῦ Ἀλκιβιάδου πλεύσαντος, i. e. a. 407. Cf. c. 35.

lis esset. Imo quum vixdum adultus Athenas reliquisset non potuit in ipsa urbe nomen militiae dare (*καταλεγῆναι ὁπλίτης* § 7) ante Euclidem, neque ante hunc ignaviae (*λιποταξίου*) crimen incurrere, quod nunc ei obiicitur. Errant igitur qui putent paulo post triginta viros expulsos hanc causam actam esse.

Huic opinioni quam maxime favere videbantur § 4 et 13, cui addi possint quae § 14 legantur, ubi primum hoc post pacem iudicium de ignavia fieri dicatur, quapropter iudices oporteat reputare se quasi legislatores esse; tum socii commemorentur, qui post a. 387 nulli fere fuerint (Hoelscher, p. 84); porro milites vulnerati aut indigentes per urbes dispersi. Sed sunt haec talia quae etiam alii tempori conveniant. Tantum intellegitur haec, quum pluribus locis esset pugnatum (milites aegri dispersi sunt), post recentem pacem dicta esse. Nam socios, quamvis paucos, tamen aliquos etiam post Antalcideam pacem habebant Athenienses, cf. 25. 19. Praeterea ex § 19 *οὐχ ὡς ἀπολουμένης τῆς πόλεως, ἀλλ' ὡς σωθησομένης* efficias ipsam urbem praesenti fuisse periculo expositam; sed iusta acie pugnatum non esse palam est ex § 5: *μάχην γὰρ οὐδεμίαν γεγονέναι.*

Haec tamen optime etiam ad annum 388 referre posse mihi videor. Nullum facile periculum inter bellum Peloponnesiacum et Chaeroneensem calamitatem propius minabatur Athenis, quam Aegina illo anno a Lacedaemoniis obsessa. Inde Spartani duce Eteonico egressiones faciebant in Atticam et si quid secus accidisset tutum eo habebant perfugium, Lacedaemoniisque mari dominantibus impediebatur mercatura Attica; quod si plures iis fuissent copiae facile ipsam urbem oppressissent; classis certe ab Atheniensibus missa erat admodum exigua. Decem triremes fuerunt, quae hoplitas et ducem Pamphilum in insulam transportarunt, ut Aeginam obsiderent. Expositis militibus naves a Lacedaemoniis fusae sunt; copiae terrestres munito loco obsessae potius ipsae sunt quam obsederunt, quintoque mense post infecta re domum

redierunt. Periculum Athenis imminuisse inde efficio, quod Xenophon, qui haec narrat (Hell. V. 1. 1, sqq.), diserte πολιορκεῖσθαι Athenienses a Lacedaemoniis refert. Quanto magis licuit oratori, ut causae serviret, rem exaggerare.

Iusta acie pugnatum esse (§ 5) ne Xenophon quidem refert nec per se probabile est. Eodem tempore ab Iphicrate, Thrasybulo, Agyrrhio ad Hellespontum et Lesbi bellum gerebatur; cf. § 14.

Anno post secuta est pax Antalcidea.

Statim igitur post hanc pacem initam quum primum iudicium haberetur de iis, qui in bello iam finito ignavi fuissent, hanc orationem dictam existimo. Qua opportunitate quum iudices tanquam legislatores sedere dicit, utitur orator non sine exaggeratione sed ut iudicibus simulate assentetur iis verbis tralaticiis, quibus post populi imperium a. 403 restitutum oratores uti solebant.

Huic disputationi si quid deesse videbitur, compensabit locus ex oratione altera in Alcibiadem. Ad Pamphili nomen ibi § 5 lectum nemo, quod sciam, editorum attendit. Is est dux praesidii ab Atheniensibus Aeginam missi. Xen. l. l. οἱ δ' Ἀθηναῖοι πολιορκούμενοι ὑπ' αὐτῶν πέμψαντες εἰς Αἴγιναν καὶ ὁπλίτας καὶ στρατηγὸν αὐτῶν Πάμφιλον ἐπετείχισαν Αἰγινήταις. Alteram quidem hanc κατ' Ἀλκ. Lysiae abiudicant Boeckhius, Bakius, alii. Nemo tamen est, quin in vera causa et a Lysiae aequali compositam existimet. Quare ad hanc historicam quaestionem parum illud refert.

## XV. ΚΑΤ' ΑΛΚΙΒΙΑΔΟΥ ΑΣΤΡΑΤΕΙΑΣ.

Non ab eodem pronunciata est haec oratio a quo superior, nec quemadmodum statuit Marklandus, epilogus est superioris, quam sententiam iure miratur Dobreus. Nam prior post legum et iurisiurandi et accusationis recitationem verbis quibusdam in fine truncata quamvis sit, multa tamen interiisse non possunt post § 46: ἐγὼ μὲν οὖν ὡς ἐδυνάμην ἄριστα

κατηγόρηκα. Primus Archestratides accusavit Alcibiadem cf. 14. 3, cui uterque orator se opem ferre accusanti dicit cf. 15. 12, ut prior oratio deuterologia sit, altera tritologia. Uterque etiam Alcibiadis inimicitias palam prae se fert. Cf. ll. ll. Ceterum argumento dissimiles sunt inter se. Prior iusta et plena est accusatio; altera versatur in eo, ut milites, qui in hac causa iudices sedeant, ab obsequio strategis, praesidibus iudicii, praestando alieni reddantur. Etenim hi faventes Alcibiadi simulabant sua auctoritate Alcibiadem, cum inter pedites ei militandum esset, ad equites transiisse, quo omnem culpam ab Alcibiade in se transferrent. Haec igitur materie a superiore oratione sic diversa sunt, ut tamen non incredibile sit, has orationes in eadem causa a duobus synegoris pronunciatas esse. Nam ex inscriptione (ἀστρατείας) diversa nihil potest effici; ea enim si vel maxime ab auctore profecta esset, tamen non sequeretur in alia causa hanc orationem habitam quam superiorem; siquidem λιποταξίου et ἀστρατείας crimina una lege continebantur; et λιποταξίου non tantum pertinet ad eos qui fugerunt, sed ad illos etiam qui nomina non dederunt (τοὺς ἀστρατεύτους) eodem modo quo λιπομαρτυρίου δίκη est in eum qui indicium *recusat*, non qui susceptum derelinquit. Cf. supra ad initium or. 14.

Non possum assentiri Bakio certo demonstrari putanti alteram orationem non esse Lysiae, si conferantur verba § 9 μεμνῆσθαι χρὴ ὅτι οὐ νομοθετήσοντες περὶ αὐτῶν ἥκετε, ἀλλὰ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους ψηφιούμενοι cum Orat. I. § 4: μὴ μόνον δικαστάς, ἀλλὰ καὶ νομοθέτας αὐτοὺς γενέσθαι. Lysiam duobus causarum patronis orationes scribentem pugnantia inter se ponere religioni non habuisse, modo eidem proposito inservirent, non miror; non enim in his tam quaeritur, quid verum sit quam quid causae conducat. Utroque autem loco ad severitatem et obsequium legum incitantur iudices; priore ne legem nimis credant duram admonentur, altero ut fidos se eiusdem praebeant ministros, per quos ius valeat. Similem repugnantiam invenias infra or. 24. 25, coll. § 15.

Non igitur supervacaneum amplius de auctore quaerere. Nam reliqui interpretes vix operae pretium habuerunt sententiam suam, qua Lysiam orationis auctorem negant esse, argumentis adstruere; ipse igitur apponam quae suspecta esse possunt.

Longiorem locum exscribere cogor, ut de subita conversione et transitu ad secundam personam constet. § 1. *ἐγὼ μέν, ὦ ἄνδρες δικασταί, καὶ ὑμᾶς αἰτοῦμαι τὰ δίκαια ψηφίσασθαι, καὶ τῶν στρατηγῶν δέομαι, ἐπεὶ καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ ἀρχῇ πολλοῦ ἄξιοι τῇ πόλει γεγόνασι, καὶ περὶ τῶν τῆς ἀστρατείας γραφῶν κοινοὺς εἶναι τῷ τε διώκοντι καὶ τῷ φεύγοντι, καὶ μὴ βοηθοῦντας ᾧ ἂν βούλωνται πᾶσαν προθυμίαν ἔχειν παρὰ τὸ δίκαιον ὑμᾶς ψηφίσασθαι, ἐνθυμουμένους ὅτι σφόδρ' ἂν ἠγανακτεῖτε, εἰ ἐν τῇ ὑμετέρᾳ δοκιμασίᾳ οἱ θεσμοθέται ἀναβάντες ὑμῶν ἐδέοντο καταψηφίσασθαι, ἡγούμενοι δεινὸν εἶναι, εἰ οἱ τιθέντες τὸν ἀγῶνα καὶ τὴν ψῆφον διδόντες παρακελεύσονται τῶν μὲν μὴ [καταψηφίζεσθαι τῶν δὲ] καταψηφίζεσθαι.* Initio alloquitur iudices, de praesidibus iudicii strategis in tertia persona ad eos verba faciens (*γεγόνασι, βούλωνται*), tum verba *ἐνθυμουμένους ὅτι* proferens subito se ad ipsos convertit strategos (*ἠγανακτεῖτε*); potius exspectes *ἠγανάκτουν, εἰ ἐν τῇ σφετέρᾳ δοκιμασίᾳ.* Porro in verbis *ὑμῶν ἐδέοντο καταψ.* genitivus pendet non ab *ἐδέοντο* sed a *καταψ.*, *ἡγούμενοι* accommodatum est ad *ἠγανακτεῖτε.* Sententia enim aperte talis requiritur: „sitis aequi iudices et facite id quod *si vestra* „*ipsorum causa ageretur*, vobis ipsi optaretis." Constructio est et contorta et dura. Nam *πᾶσαν προθυμίαν ἔχειν* mire iungitur cum infinitivo, subiecto diverso (*ὑμᾶς ψηφίσασθαι*); porro *ὑμῶν* ita collocatum est ante *ἐδέοντο*, ut quisquis primum locum legit, *ὑμῶν* ab hoc pendere existimet; et *ἡγούμενοι* postquam novum subiectum (*θεσμοθέται*) interpositum est aegre ad *ἠγανακτεῖτε* refertur. Nihil tamen agit Reiskius *ἐν τῇ ἡμετέρᾳ δοκιμασίᾳ* scribens et ad *καταψηφίσασθαι* cogitatione supplens *ἡμῶν ἀκρίτων.* Melius quam Reiskianum foret, opinor, *εἰ ἐν τῇ ὑμετέρᾳ δοκιμασίᾳ — ἡμῶν ἐδέοντο καταψηφίσασθαι* (sc. *ὑμῶν*) „si in vestra probatione thesmothetae

„a nobis petivissent ut vos condemnaremus." Sed non error est librariorum qui locum obscuravit. Bonus scriptor hoc quidem loco pro aoristis, quos usus postulat, non usurpasset imperfecta *ἠγανακτεῖτε*, *ἐδέοντο*, quasi res etiam tum instaret, ac de *εὐθύναις* non de *δοκιμασίᾳ* ageretur (cf. Meier et Schoemann, p. 222 et 205).

§ 3. *τί δ' ἂν αἴσχιον ἔθος ἢ δεινότερον πρᾶγμα τούτου τῇ πόλει γένοιτ', εἰ τολμήσει ὁ μὲν ἄρχων ἐν ταῖς τῶν ἐπικλήρων δίκαις ἀντιβολεῖν καὶ ἱκετεύειν τοὺς δικαστὰς ὅ τι ἂν βούληται πραχθῆναι, ὁ δὲ πολέμαρχος καὶ οἱ ἕνδεκα [δεήσονται] ἐν [ταῖς δίκαις] ταῖς ὑφ' ἑαυτῶν εἰςαγομέναις, [ὥσπερ καὶ νῦν]*; Quae uncis inclusi melius absunt, quibus omissis initio *τολμήσειεν* est scribendum. Pro *ἐν ταῖς* libri *ἐμβάς*.

§ 4. *χρὴ τοίνυν καὶ ὑπὲρ ὑμῶν αὐτῶν τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχειν, ἐνθυμουμένους ὅτι οὐδὲν διοίσει ὑμᾶς ἰδίᾳ περὶ τῆς ἀστρατείας βοηθεῖν ἢ τούτων τινὰς δεῖσθαι αὐτοὺς τὴν ψῆφον διδόντας.* Sententia requiritur haec: „rati, nihil differre, utrum sponte „vos opem feratis militiam detrectantibus, an *faciatis* his „auctoritatem suam interponentibus, qui ipsi vos in suffra„gia mittunt." Postrema igitur *ἢ τούτων δεῖσθαι* clarius sic extulisset *ἢ τούτων δεομένων* (sc. *τὸ αὐτὸ ποιεῖν, περὶ τῆς ἀστρατείας βοηθεῖν*). Sed nihil mutandum. *Ὑπὲρ ὑμῶν αὐτῶν* est ipsi vestrae existimationis aut famae memores. *Ἰδίᾳ* ex opposito apparet esse: separatim, vestro marte, proprio motu. Cf. 18. 2, ubi libri habent *πολλῶν ἰδίᾳ ἀγαθῶν.*

§ 5. *σκέψασθε δ', ὦ ἄνδρες δικασταί, ἐὰν ἱκανὸν γένηται τεκμήριον, ὅτι οὐδείς πω τῶν ἀρχόντων ἐν τῷ στρατοπέδῳ Ἀλκιβιάδῃ ἦν παρεσκευασμένος*, i. e. „vide num ullum documen„tum possit inveniri, unde appareat duces Alcibiadi favisse." Qui ita loquitur rem dubiam dicit non facile certo documento probatum iri; hoc loco asseverari debebat, ab initio nullum studuisse Alcibiadi. Verba *ἐὰν — τεκμ.* melius abessent.

§ 5. *ἐχρῆν γὰρ αὐτούς, — ἀνακαλεῖν μὲν Πάμφιλον.* In ius vocare est *ἀνακαλέσασθαι*, non *ἀνακαλεῖν*. Non iniuria

Marklandus postulabat *ἐγκαλεῖν Παμφίλῳ*, quod etiam sententia commendatur.

§ 6. *δεινὸν — τοὺς στρατηγοὺς — μὴ ἂν τολμῆσαι πρότερον ἡμῶν ἡγήσασθαι, ἕως ἂν ἐδοκιμάσθησαν.* Hoc Dobreus iure soloecum putans, requirit *aut ἕως ἐδοκιμάσθησαν, aut ἕως ἂν δοκιμασθῶσιν, aut ἕως δοκιμασθεῖεν.* Difficile est certo dicere quid usus linguae poscat in conformatione orationis quae non nimis frequens est, praesertim dubitante tanto viro, sed tamen secunda constructio hoc loco mihi ferenda non videtur; nam ex hac sententia recta: *οὐκ ἂν τολμῷεν*, vel *οὐ τολμήσουσιν ἕως ἂν δοκιμασθῶσιν* potest existere *λέγω οὐκ ἂν τολμᾶν, ἕως ἂν δοκιμασθῶσιν*, sed dubitativa illa forma orationis (*τολμᾶν ἂν*) parum convenit cum *δεινόν*, quod asseverationem continet. Non aliter fieri potest, quin *μὴ ἂν τολμῆσαι* natum sit ex *οὐκ ἂν ἐτόλμησαν*, post quod sequitur *ἕως ἐδοκιμάσθησαν*, si urgetur sumi tantummodo aliquid, rem *non* esse factam. Id lenissima mutatione, omisso *ἂν* (ante *ἐδ.*) restitui potest. Praeferrem tamen *δοκιμασθεῖεν. Οὐ πρότερον ἕως* praeterea Lysias habet 12. 71 et 25. 26.

In eadem sectione pergit (*δεινὸν*) *Ἀλκιβιάδην δὲ τολμᾶν παρὰ τοὺς τῆς πόλεως νόμους ὑπ' αὐτῶν ταχθῆναι.* Postremum verbum habet factitivam vim: pati s. iubere se collocari; qua vi etiam subinde *πεισθῆναι* accipi potest. Sed multo mihi probabilius est verba *ὑπ' αὐτῶν* esse delenda, ut *ταχθῆναι* vulgari reflexiva vi dicatur. Adscripseram huic loco olim: „ut „sua vis esset oppositioni addendum erat *ἀδοκίμαστον*," in idemque postea animadverti iam Dobreum incidisse. Num vero ab auctore additum fuerit, dubito; verbis enim *παρὰ τοὺς νόμους* iam continetur aliquatenus *τὸ ἀδοκίμαστον.*

§ 10. *μέλλοντος ψηφίσασθαι.* De *μέλλω* cum aoristo multa olim a Lobeckio ad Phrynichum, et nuper a Cobeto dicta sunt, quae nihil attinet repetere. Quamdiu exempla exstant qualia, ut de multis pauca afferam, sunt Plat. Gorg. 525. A. *μέλλει ἐλθοῦσα ἀνατλῆναι τὰ προσήκοντα πάθη* et Ar. Ach. 1160: *κᾆτα μέλλοντος λαβεῖν* non inducar ut soloecum exi-

stimem aoristum. Verum est sane, id quod saepius dictum sit, habendum esse pro non dicto, si cum analogia pugnet, sed ingenium linguae nihil plane repugnat; μέλλω est verbum ἐφετικόν non minus quam βούλομαι et ἐθέλω, habetque aoristum non tanquam tempus praeteritum, sed quod illa forma actionem saepe aut statum sine temporis notione significat; ut hîc potius, si raro legeretur aoristus, alterum illud Hermannianum valere deberet: semel dictum habendum est pro saepius dicto, si ratio evincit dici potuisse.

§ 11. καὶ περὶ ὧν οἱ νόμοι διαῤῥήδην οὔτε στρατηγὸν οὔθ' ἵππαρχον οὔτ' ἄλλον οὐδένα κυριώτερον ἐκείνων ἀποδεικνύουσι. In ἐκείνων ad leges (subiectum) relato non magis est haerendum quam in οὗτος saepius pro reflexivo posito, cuius rei exempla supra attuli. Cf. etiam 21. 12, et Xen. Hell. I. 6. 14 οὐκ (add. ἂν) ἔφη ἑαυτοῦ γ' ἄρχοντος οὐδένα Ἑλλήνων εἰς τὸ ἐκείνου δυνατὸν ἀνδραποδισθῆναι.

Ex dictis apparet in argumento orationis nihil esse cur Lysiae abiudicetur; in verbis tamen et structura sententiarum sunt quae, praesertim in tam brevi oratione cumulata, dubium reddant auctorem. Ac facile fieri potest, ut haec oratiuncula, etsi non a Lysia scripta, tamen quod in eadem causa dicta sit, propter argumenti similitudinem cum superiore iniuria inter Lysiacas relata sit. Aut hoc factum est, aut oratiuncula ex Lysiaca quadam a recentiore quodam epitomatore παραπεποίηται. Nam vetera quaedam et bona insunt, potissimum ratio argumentandi et notitia iudiciorum (§ 3, sq.), quae meliora sunt, quam a novicio rhetore exspectes. Tum quae dicuntur de animo eorum qui iudicio praesunt, non cum ficta causa conveniunt.

### XVI. ΕΝ ΒΟΥΛΗΙ ΜΑΝΤΙΘΕΩΙ ΔΟΚΙΜΑΖΟΜΕΝΩΙ ΑΠΟΛΟΓΙΑ.

§ 3. Speciose Rauchensteinius Philol. XIII. p. 213, sqq. ἐπεδήμουν ex § 3 remotum, omisso οὔτ' transfert ad § 4 post πολιτείας.

§ 5. Demonstraturus Mantitheus nullam partem reipublicae se attigisse sub triginta viris ostendit se peregre fuisse, et quinque tantum diebus ante populare imperium restitutum domum revertisse. Non probabile erat, inquit, nos in periculi societatem cum triginta viris venire voluisse, *οὔτ' ἐκεῖνοι (οἱ λ') φαίνονται τοιαύτην γνώμην ἔχοντες, ὥστε καὶ τοῖς ἀποδημοῦσι καὶ τοῖς μηδὲν ἐξαμαρτάνουσι μεταδιδόναι τῆς πολιτείας, ἀλλὰ μᾶλλον ἠτίμαζον καὶ τοὺς συγκαταλύσαντας τὸν δῆμον.* Τοῖς ante *μηδὲν* positum omittendum puto; non distinguendi sunt qui extra urbem fuerant ab iis qui nihil deliquerant; sed ii qui abfuerant eo ipso nihil potuerant delinquere („ut etiam mihi et aliis, qui peregre fueramus et eo „ipso nihil deliqueramus"). Proxima sic explicantur: sed potius contemnebant eos etiam qui populi imperium cum ipsis subverterant. Brevia haec sunt nimis, eoque obscura; nam dicendum erat: sed adeo *omnes omnino* spernebant, ut etiam sceleris socios contemnerent. Ne dicam haec in universum dicta vix vera esse, vis argumentationis sic elevatur; si enim etiam noxios repudiabant, Mantitheus aliquid peccavisse poterat, quamvis ab iis esset spretus; causae patroni erat dicere: nihil deliqueram, *ergo* eques ab iis scriptus non sum. Nunc indicat: ab iis non ad equites relatus fui; sed fieri potest ut nihilominus criminis quandam societatem cum iis habuerim. Mihi admodum arridet Reiskii suspicio, in quam ipse quoque incideram, post *τὸν δῆμον* excidisse *ἐτίμων*; quod, si reputes scribi saepissime pro *ῑ* in antiquissimis MSS. *ει*, ante *ἔπειτα* potuit omitti. Herwerdenus acute, sed paulo maiore cum mutatione: *τοῖς καὶ ἀποδ. καὶ μηδέν*, tum *ἀλλὰ μᾶλλον ἐτίμων τοὺς συγκ.* Pro *ἔχοντες* idem et Sauppius *σχόντες*, sed cf. 12. 50: *ὅπως τοίνυν μὴ φανήσεται ἐν τῷ λόγῳ τοῖς τριάκοντα ἐναντιούμενος.* 7. 7: *ἐπίστασθε — πολλὰ ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ δασέα ὄντα ἰδίαις καὶ μορίαις ἐλάαις.* Et saepe sic *ὤν*. Accedit quod *ἔσχον* (non composita) vulgo habet *accipiendi*, *retinendi*, *cohibendi* significationem, non simpliciter *habendi*. — Praesens *ἐξαμαρτάνουσι* non potest defendi,

nisi statuas usurpatum quemadmodum *ἀδικῶ*, *iniustus sum*, *φεύγω*, *exsul sum*, *κλέπτω*, *furti teneor* (Arist. Ran. 610), *ὑβρίζω* = *ὑβριστής εἰμί* (Xen. Anab. V. 8. 1). — Pro *ὁμολογούντων ἱππεύειν* Bakius scribit *ἱππεῦσαι*; sed fieri potest ut contendat vulgo etiam tum neglegenter admodum equites in *σανίδιον* fuisse relatos, istiusmodi tabulis fidem saepe haberi non posse. Malim tamen *ὁμολογουμένως ἱππευόντων*. Nam nemo tum facile confitebatur se sub xxx viris equitem fuisse. De simili corruptela cf. Dobr. Advv. II. 69.

§ 7 lego *καταβαλόντα* pro *παραλαβόντα* cum Bakio. Non nimis perspicue ratiocinatur in *ἐκ μὲν γὰρ* — *ἐξαλειφθῆναι*, ut recte monuit Halbertsma, sed tamen non spuria haec iudico; ut tabulas nullius pretii omnino esse significet, provocat ad illud, quod omnibus constabat.

§ 13. *ἐπειδὴ πάντας ἑώρων τοῖς μὲν ἱππεύουσιν ἀσφάλειαν εἶναι δεῖν νομίζοντας, τοῖς δ' ὁπλίταις κίνδυνον ἡγουμένους, ἑτέρων ἀναβάντων ἐπὶ τοὺς ἵππους ἀδοκιμάστων παρὰ τὸν νόμον, ἐγὼ προςελθὼν ἔφην τῷ Ὀρθοβούλῳ ἐξαλεῖψαί με ἐκ τοῦ καταλόγου.* Ingeniose pro *δεῖν* Scheibius *δεινόν* (sequitur NO). Sed non erat, cur conquererentur cum civibus de re, quae non eorum culpae sed rationi belli debebatur, in quo Thebani socii Atheniensium, equitatu validi, ea parte Spartanos superabant teste Xen. Hell. III. 5. 23. Itaque *δεῖν* omittendum, natum ex proximis litteris male repetitis (ΔΕΙΝ ex ΑΙΝ).

Sectione 21 *ἅμα δ' ὑμᾶς ὁρῶν — τούτους μόνους ἀξίους νομίζοντας εἶναι* fortasse scribendum *τοὺς τοιούτους*. Ante *ἀξίους* desiderari *πολλοῦ* (Cobet) aut *λόγου* probabile est. Denique in fine aliquid deest; nam etsi haec oratio insigne specimen est tenuitatis Lysiacae, tamen illis verbis *οὐ γὰρ ἕτεροι περὶ αὐτῶν κριταί εἰσιν, ἀλλ' ὑμεῖς* nimis abrupte finitur; orator non redit, ut alibi solet, ad caput causae sed desinit in refutatione criminis cuiusdam secundarii. Cf. tamen epilogus septimae.

Bona est sane oratio; sed Dobreus vellem sententiam suam enucleatius exposuisset quam factum est paucis verbis quae

leguntur in eius Adverss. Vol. I. p. 192: „Egregia: vivi„dis et pene comicis coloribus exprimens στρατιωτικὴν κυθά„δειαν καὶ ἀλαζόνειαν ea simul arte, ut hoc ipso placeat." Nunc non plane possum assentiri. Δοκιμασία per se quandam habeat praedicationem meritorum necesse est; atque haec saepe ab ostentatione parum abest. Sed ex verbis Dobrei alterum quendam Pyrgopolinicen exspectes. Verum longe accidit secus. In priore parte orationis § 1—9 placidam offendimus ratiocinationem. Non equitavi, inquit, sub xxx viris; quod si vel maxime fecissem, non magis poena dignus essem, quam multi, qui nunc senatores sunt aut duces; igitur hanc demonstrationem praemitto tantum ut occurram mendaciis adversariorum. Tum ex natura δοκιμασίας iustas ducit causas, quare sibi, etiamsi forte nolit, tamen sua bene facta sint exponenda, atque etiam culpam quandam confessus (§ 20 sub f.) invidiam, si qua sit, lenire studet. Quae refert de se, facta sunt, non inania verba. Lenem quandam irrisionem agnosco in verbis φοβουμένων ἁπάντων (εἰκότως, ὦ βουλή· δεινὸν γὰρ ἦν ἀγαπητῶς ὀλίγῳ πρότερον σεσωσμένους ἐφ' ἕτερον κίνδυνον ἰέναι) § 16, cavillationem tamen, quae sibi prudenter temperet potius quam temere invehatur in aliena vitia. Praeterea „comicos colores" non video.

### XVII. ΔΗΜΟΣΙΩΝ ΑΔΙΚΗΜΑΤΩΝ.

Melius haec oratio inscriberetur de bonis Eratonis; nam quae nunc inscriptio est nihil commune habet cum materia tractata. De qua quae Meierus iam quadraginta abhinc annis diligenter exposuit (de bonis damnatorum et fiscalium debitorum, Berol. 1819, p. 190 sqq.) fuse hic repetere nihil attinet; itaque capita rerum attingam. In paucis ab eo recedo, quae non diserte memoro, ne expositio mea obscura evadat.

Proscribuntur, incertum qua de causa, bona Eratonis cuiusdam, iam aliquot annis ante defuncti. Sed ea iam dudum sibi adiudicata esse, contendit actor. Pater enim eius iam

tribus annis ante Erasistrato, qui ex tribus filiis Eratonis tum iam mortui solus in urbe aderat, litem intenderat, contendens totam haereditatem Eratonis sibi deberi. Causam ille obtinuerat, eo eventu, ut statim Erasistrati bona occuparet, aut certe occupare conaretur, agrum Sphettium quendam et Cicynnensem cum domo. Alterius filii Erasiphontis bona cum similiter sibi vindicasset actor, pro eo intercesserant affines. Unde novum iudicium conflatum erat, cum subito omnia bona Eratonis fisco vindicantur. Hanc igitur bonorum publicationem nunc actor impugnat, petens ut maneat certe in possessione eorum quae dudum possedisset (Erasistrati bonorum), reliqua civitati concessurus.

Demonstraturus igitur, Eratonis bona sibi deberi, primum pecuniam ab avo suo illi mutuam datam esse dicit maiorem quam omnis sit res familiaris ab Eratone relicta (§ 2 *τάλαντα δύο*, coll. § 7 *πλείονος ἢ ταλάντου τετίμηται*); tum ostendit testibus productis, illa bona sibi iam archonte Xenaeneto (Ol. 94. 4) adiudicata esse § 2 et 3.

Tum, ne quis forte contenderet in recensu bonorum, quae fisco postularentur [1]), quaedam omissa esse, quibus actor etiamsi causa caderet damnum tamen aliquatenus posset resarcire, cuncta in indices relata esse probat § 4.

Denique ne quis severiorem exactorem a civitate quam a privatis illum contenderet [1]), si, quum antea ex bonis Eratonis partem tantum possedisset, nunc omnia sibi vindicaret, nihil amplius se nunc velle petere monet quam tertiam debitorum partem, sperans nimirum hac liberalitate animos iudicum se sibi conciliaturum § 5 sqq.

Haec quae cum pulvisculo ex oratione eruuntur, summam causae continent. Restat ut de singulis quibusdam videamus.

Quaeritur enim quando haec actio instituatur, utrum publicatis iam bonis et in fiscum relatis, an quo tempore etiam sub iudice ea causa esset. Sectione 4 *ὅτι δὲ πάντα δημεύεται*,

---

1) Causae hae, cur singula afferuntur, a me suppletae sunt.

et ἂν ὑμεῖς δημεύσητε posterius, § 6 ὑμῖν τὰ Ἐρασιφῶντος δημεύειν ἔδοξε prius demonstrari videtur. Haec sic debent in concentum redigi, ut statuamus, decretum iam factum fuisse de bonis publicandis, nondum tamen in aerarium relata fuisse. Ita non est cur pro δημεύεται cum Cobeto legamus δεδήμευται. Nuper admodum de publicandis bonis decretum fuisse, inde apparet quod paulo ante (νυνί § 7) privato iudicio petitor certaverat de agro Cicynnensi et domo; quod certe publicatis illis fieri non potuit.

Proscriptam esse vidimus totam haereditatem Eratonis; manifestum hoc est ex sectione 4, de qua paulo post; sed pugnant quae inveniuntur § 6: ἐπειδὴ δ' ὑμῖν τὰ Ἐρασιφῶντος (unius ex tribus filiis Eratonis) δημεύειν ἔδοξεν, ἀφεὶς τῇ πόλει τὰ δύο μέρη, τὰ Ἐρασιστράτου ἀξιῶ μοι ψηφισθῆναι. Sed ab oratore ita scribi non potuisse, ostendit ipsa res; nam si Erasiphontis tantum bona aerario vindicata essent, nihil opus erat hoc iudicio, siquidem actor nihil nisi Erasistrati bona sibi postulat, διότι, inquit, ταῦτά γ' ἤδη καὶ πρότερον ἐγνώκαθ' ἡμέτερ' εἶναι. Sunt autem ager Sphettius et Cicynnensis cum domo, quae ille dudum aut ipse tenuerat aut iudicio sibi vindicare identidem conatus erat. Rem animadvertit etiam Meierus p. 192. Non admodum probabile est, vitium esse librarii; cadit potius in festinantem epitomatorem.

De Erasiphontis bonis quum actio esset instituta apud iudices vulgares, exceptionem moverunt eius affines, causam ad ναυτοδίκων forum reiiciendam esse contendentes; ii quûm ius dicerent hieme tantum (cf. Boeckh. Staatsh. I. p. 54), tempus se extracturos sperabant. Quae res iis mirifice successit. Nam causa ad proximam hiemem ampliata est. Nimirum Erasiphon et olim (§ 3) et nunc mercaturae causa peregrinabatur (legendum ἔμπορον non ἔμποροι). Interim bona omnia Eratonis quae fuerant, publicantur. Nunc, quae via ad partem certe vindicandam brevissima erat, eam ingreditur. Desperans, plane se suum ius obtenturum et πλέον

τρίτον παντός iudicans, Erasiphontis et Eratonis (iunioris) bona mittit, Erasistrati vindicat.

Denique de lectione constituenda quaedam addo.

§ 3. Ἕως τοίνυν ὁ Ἐράτων ἔζη, τούς τε τόκους ἀπελάμβανον ἐγὼ καὶ τἄλλα τὰ συγκείμενα. Marklandus κατὰ τὰ συγκείμενα, quem refutavit Dobreus, monens praeter foenus etiam alia concedi potuisse, velut agelli fructum vel usum. Καί probum esse demonstrat τέ ante τόκους. Sed in sequentibus iure pluralis est ἡμῖν, οὐ δυνατοὶ ἦμεν; loquitur enim de se et patre, cuius proprie erat percipere fructus; itaque hic postea cum Erasistrato certat (λαχὼν ὁ πατὴρ παντὸς τοῦ συμβολαίου). Ergo probabile est post ἐγώ patris mentionem factam fuisse: καὶ ὁ πατήρ. Excidit ὁ π̄ρ̄ inter duplex καί.

§ 4. Ὅτι (τὰ Ἐράτωνος) πάντα δημεύεται, ῥᾴδιον (εἰδέναι) ἐξ αὐτῶν τῶν ἀπογραφῶν· τρεῖς γὰρ καὶ τέτταρες ἕκαστα ἀπογεγράφασι. Notandum puto καί inter numeralia positum pro ἤ, ut apud Homerum in noto illo τούςδε δ' ἔα φθινύθειν ἕνα καὶ δύο, quod tamen hic minus aptum; ita enim loquuntur, ubi numerus non accurate initur aut per contemtum elevatur. Neutrum in diligenti demonstratione potest admitti. Neque comparandi sunt loci, in quibus de more quodam et consuetudine agitur, aut de eo quod alio tempore aliter factum est, ut Dem. Phil. I. (4) 47: τῶν στρατηγῶν ἕκαστος δὶς καὶ τρὶς κρίνεται (alii bis, alii etiam ter). Xen. Anab. IV. 7. 10: προέτρεχεν δύο καὶ τρία βήματα, quod sic debet defendi, ut dicas Callimachum modo duos, modo tres passus procucurrisse. Quae non advocarem nisi Wexius ad Tac. Agr. p. 30 ea cum nostro loco compararet; cuius explicatio τὰ μὲν τρεῖς, τὰ δὲ τέτταρες ἀπογεγράφασι loco non satisfacit; nam si singulae ἀπογραφαί partem bonorum complexae fuissent, aegre potuisset universorum recensus ex iis confici. Sed satis de hoc. Mihi videtur ἤ dedisse Lysias, nisi forte gravius ulcus latet. Scheibius in progr. Gymn. Carolini (Neustrelitz) 1852 p. 15 καί defendit.

Statim sequitur locus a multis tentatus: καίτοι τοῦτό γε

παντὶ εὔγνωστον, ὅτι οὐκ ἂν παραλιπόντες εἴ τι ἄλλο τῶν Ἐράτωνος οἷόν τε ἦν δημεύειν τὴν πάντα τὰ Ἐράτωνος ἀπέγραφον καὶ λέγω πολὺν ἤδη χρόνον κέκτημαι. Laurentianus haec ut poterat correxit: ὡς οὐκ ἂν παρέλιπον, — δημεύειν οἱ πάντα τοῦ Ἐράτωνος ἀπογράφοντες· ἐγὼ δὲ πολὺν ἤδη χρόνον κέκτημαι, quem Bekkerus aliique secuti sunt. Reiskius locum sic constituit: ὅτι δὲ πάντα δημεύεται, ἐξ αὐτῶν τῶν ἀπογραφῶν (ῥᾴδιον εἰδέναι)· — καίτοι τοῦτό γε παντὶ εὔγνωστον, ὅτι οὐκ ἂν παρέλιπον, εἴ τι ἄλλο τῶν Ἐράτωνος οἷόν τ' ἦν δημεύειν. Mira argumentatio. Si cuivis hoc manifestum fuisset, non sane demonstratione opus esset. Sed pro καὶ λέγω in proximis sine controversia recte καὶ ἃ ἐγώ coniecit. Hoc adsciscendum et τὴν natum ex dittographia superiorum τ' ἦν eiiciendum. Sed ne vel sic quidem locus persanatus est. Argumentatio haec esse videtur: eo quod in indicem retulerunt etiam ea quae ego dudum possederam, apparet omnia eos complexos esse. Haec non reperio quomodo in verbis inesse possit si πάντα τὰ Ἐράτωνος retineantur. Contra iis omissis locus recte se habet: οὐκ ἂν παραλιπόντες εἴ τι ἄλλο τῶν Ἐράτωνος οἷόν τ' ἦν δημεύειν, ἀπέγραφον καὶ ἃ ἐγὼ πολὺν ἤδη χρόνον κέκτημαι, „si omisissent aliud quid quod ex bonis Era„tonis proscribi posset, non sane retulissent in indicem, „quae ego iam dudum possideo." Inde enim apparebat eos ea etiam, de quibus ambigi posset, in tabulas retulisse. Verba πάντα τὰ Ἐράτωνος in margine adscripta fuisse videntur ad explicanda illa ὅτι δὲ πάντα δημεύεται paulo superius lecta. In Scheibii lectione πάντα τὰ Ἐράτ. ἀπέγραφον [ἀπογράφοντες] καὶ ἅ, rell., quam ille uberius defendit l. l. p. 15—17, membra orationis mirifice turbata sunt, ne dicam de particula ἂν secundum illum ad participium tantum referenda.

Secundum ea quae de universa causa monui interpretor sectione 5:

ὡς δὲ τὴν ἀμφισβήτησιν ἐπ. „quomodo litem instituerim." Exponit partem se nunc vindicare haereditatis Eratonis,

antea universa bona postulavisse. Itaque non facio cum Cobeto scribente ὡς δὲ τὴν αὐτὴν ἀμφισβήτησιν. *Discriminis* potius rationes reddit.

πρός τε ὑμᾶς καὶ τοὺς ἰδιώτας. Temporis ordine observato ἰδιώτας praecedere debebat; sunt enim Ἐρασιφῶντος οἰκεῖοι.

ἕως μὲν γὰρ ἡμῖν οἱ Ἐρασ. οἰκεῖοι — ἅπαντα ἠξίουν ἐμὰ εἶναι. Opposita sunt quae § 6 leguntur ἐπειδὴ δ' ὑμῖν — ἀφεὶς τῇ πόλει τὰ δύο μέρη.

καὶ τὰ μὲν Σφηττοῖ —, τῶν δὲ Κικυνοῖ καὶ τῆς οἰκίας. Haec ab actore possessa aut vindicata ad bona Erasistrati pertinebant; cf. § 6. Eorum aestimationem proponit § 7. Ceterum haec (καὶ τὰ μὲν — ἔχουσι) per parenthesin interposita illustrant superiora ὁ Ἐρασίστρατος ἡττήθη. Per διεγράψαντο redit ad Ἐρασιφῶντος οἰκείους, qui pro Erasiphonte, mercatore causam dicebant.

πέρυσι superiore anno, aestate (cf. Ar. Ach. 378), quum nautodicae ius non dicebant. Hieme insecuta mense Gamelione frustra ut ius dicerent rogati erant. Nunc res ad novos nautodicas reiecta erat, § 8 τοὺς νῦν ναυτοδίκας, quos antestatur, ut confirment, causam se a decessoribus (quos τοὺς πέρυσιν ἄρξαντας dicit) accepisse.

Sine commentatione diligenti aut interprete haec vix intelleguntur; si iudices nihil praeter haec, quae nunc exstant, audivissent, οὐδὲν ἄν, ut cum Aristophane loquar, εἶδον εἰ μὴ τῆς δίκης τὴν ἠλύγην, nec probabile est eos oratori rem adiudicaturos fuisse, et qui talia ad persuadendum apta esse putaret, oratoris nomine non esset dignus. Dantur hic quae ad divinandam causam sunt necessaria, non quae ad docendos auditores. Longe maior pars temporis iniuria interiit; etiam ea quae supersunt omisso transitu et causa cur singula afferantur (cf. argumentum a me datum) male cohaerent. Probabile mihi videtur, esse hanc orationem commentarium, aut potius excerptam esse ex genuina Lysiaca.

XVIII. ΠΕΡΙ ΔΗΜΕΥΣΕΩΣ ΤΩΝ ΤΟΥ ΝΙΚΙΟΥ ΑΔΕΛΦΟΥ ΕΠΙΛΟΓΟΣ.

Eucrates Niciae frater sub xxx viris condemnatus fuerat et interfectus. Brevi post eius mortem triginta de civitate sublati, opem ferente Pausania, Lacedaemoniorum rege, ante cuius genua Diognetus supplex filium Eucratis, qui nunc orationem habet, puerum etiamtum, constituerat, ut recentis sceleris documento Lacedaemoniorum opem contra oligarchos obtineret. Libertate restituta filiis Eucratis bona paterna aut relicta aut reddita. Non ita multo post tamen a Poliocho psephisma propositum fuisse videtur, quo, incertum quo praetextu, damnatorum bona, quae civitas aut possederat, aut reliquerat in possessione liberorum fisco vindicabantur. Sed γραφῇ παρανόμων accusatus Poliochus cum causa cecidisset, mille drachmis multatus est (§ 14, ubi nunc recte ἐζημιώσατε legitur). Hoc iudicium dudum oblivione pressum esse ratus Poliochus, aliquot post annis, quum interim adolevissent filii Eucratis et res nobis ignotae fortasse meliorem successum promitterent, actionem instituit in Eucratis filios. Ex quibus alter hac oratione petit, ne bona sua publicentur. Quae argumenta Poliochus ad causam suam probandam attulerit non discimus; iusta enim causae enarratio desideratur et potius ad publicum commodum et merita patris patruique quam ad ius provocat orator. Sed apparet, etiam ex initio, orationem mutilam esse. Sitne haec pars orationis, quae, postquam prior frater perorasset, ab altero habita sit, an eiusdem oratoris ὑστέρου s. δευτέρου λόγου, an vero finis orationis eius, quae sola hac in causa habita fuerit ab Eucratis filio parum liquet; quidquid est, initio truncata est. Quocirca in brevi et obscura causae commemoratione licere putavi divinatione uti, quae ceteroquin nimis artificiosa esset. Quae enim posui de priore iudicio quo damnatus fuerat Poliochus in coniectura posita sunt; non vero temere arrepta. Namque liquido demonstravit Hamakerus, qui egregie de hac oratione meritus est, non agi

nunc causam παρανόμων, neque reum esse Poliochum, ut plerique opinati olim sint interpretes, sed accusatorem. Totus orationis color non convenit accusationi, sed defensioni est aptissimus. Quae quum ita sint, quod § 14 legitur παρανόμων φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός debet non de hoc sed superiore iudicio intellegi. A Poliocho tum mulcta mille drachmarum exacta erat postquam erat γραφῇ παρανόμων damnatus (Meier et Schoemann, Att. Proc. p. 286). Iam vero bis eandem plane rem in iudicium detulisse Poliochum, quum praesertim priore opportunitate esset damnatus, parum probabile est. Suspicor igitur prius illum tulisse aliquid quod non nominatim in Eucratis filios constitutum esset, sed quod ad plures pertineret, qui sub triginta viris damnati fuissent aut proscripti.

Iudicium de ratione et natura causae totum pendet ex § 14: πάντες γὰρ εἴσονται (si Poliocho causam adiudicaveritis) ὅτι τότε μὲν χιλίαις δραχμαῖς ἐζημιώσατε τὸν βουλόμενον τὴν ἡμετέραν γῆν δημοσίαν ποιῆσαι νυνὶ δὲ κελεύων δημεῦσαι νενίκηκε. Haec nullam offerunt difficultatem; iam alii annotaverunt νενίκηκε etiam, quemadmodum ἐζημιώσατε suspensum esse ab εἴσεσθε. Porro articulo ante κελεύων non opus est; subiectum enim ante νενίκηκε, cui κελεύων est appositum, assumitur ex verbis τὸν βουλόμενον; futurus erat hic hominum sermo: „Athenienses olim multaverunt eum qui Eucratis „bona publicari iussit, nunc hic in eadem causa vicit." Superiore rogatione non tantum Eucratis filii sed alii quoque, ut suspicatus sum, petebantur; sed quo efficacius quantopere alterum iudicium cum priore pugnaret ostendat, illis verbis τὸν βουλόμενον — ποιῆσαι voluntatem Poliochi in psephismate rogando invidiose designat: illum qui psephismate nihil voluit aliud quam nostrum patrimonium aerario donare. Lectio autem librorum ἐζημίωσε stare non potest, si, ut demonstravi, priore opportunitate Poliochus non, ut vulgo putant, γραφὴν παρανόμων instituit, sed ipse ea petitus est. Maiorem difficultatem movent sequentia: καὶ περὶ τούτων δὴ

*ἀμφοτέρων Ἀθηναῖοι, παρανόμων φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός, τἀναντία σφίσιν αὐτοῖς ἐψηφίσαντο.* In quibus primum haud scio an is qui in eadem causa, bis ius dicens, contraria statuat, dici possit *περὶ ἀμφοτέρων τἀναντία ἑαυτῷ ψηφίζεσθαι*, quod convenit in eum, qui duabus causis propositis, de *utraque* pugnantia statuit. Sed nolim hoc premere, quod brevitatis studio motus neglegentius dicere potuit orator. At reliqua sunt nimis concisa et languida; ut enim sua vis sit postremis: *τἀναντία σφίσιν αὐτοῖς ἐψηφίσαντο* perspicue duo contraria enumerari debebant, quum praesertim haec eo loco posita sint, ubi graviter (per *καὶ — δή*) superiora resumuntur. Tum etiam *τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός* sunt brevitate nimis obscura. Itaque lacunosa haec puto. Scripsit Lysias tale quid, opinor: *παρανόμων φυγόντος τότε τοῦ ἀνδρός, (νῦν δὲ νικήσαντος) τἀναντία κ. τ. ἑ.*

Fuerunt qui eiectis verbis *παρανόμων — ἀνδρός* mederi huic loco conarentur; sed iis omissis reliqua sic frigent ut potius omnia (*καὶ περὶ — ἐψηφίσαντο*) abesse malis.

§ 1. *οἷοί τινες* (recte Bekk. pro *οἵτινες*) *ὄντες πολῖται καὶ αὐτοὶ καὶ ὧν προσήκοντες ἀδικούμενοι ἀξιοῦμεν ἐλεεῖσθαι ὑφ' ὑμῶν.* Delendum est *καί* ante *αὐτοί*: „quales cives ipsi et quorum „propinqui misericordiam vestram imploremus." Non homines opponuntur inter se sed attributa *ὄντες* et *προσήκοντες*. Iam Dobreus his offensus coniecit *καὶ οἱ προσήκοντες*, sed propinqui (Nicias, Eucrates, Niceratus, Diognetus) non implorant misericordiam.

§ 2. *ὅσα μὲν τῇ ἑαυτοῦ γνώμῃ χρώμενος ὑπὲρ τοῦ πλήθους τοῦ ὑμετέρου ἔπραξε, πανταχοῦ φανήσεται πολλῶν μὲν ἰδίᾳ ἀγαθῶν αἴτιος τῇ πόλει γεγενημένος, πλεῖστα δὲ καὶ μέγιστα κακὰ τοὺς πολεμίους εἰργασμένος.* Primus Baiterus pro *ἰδίᾳ ἀγαθῶν* coniecit *καὶ μεγάλων ἀγαθῶν*, ex Galeno (XVIII. 2. p. 65 Kühn., qui tamen locus satis corruptus est) *καί* assumens, *μεγάλων* concinnitatis causa addens. Sed ad *ἰδίᾳ*, *suo iudicio usus*, *separatim* cf. 15. 4. *Μεγάλων* abesse posse, nemo negabit.

§ 4. Notatu dignum est, duces novos a populo suffectos esse iis qui ad Aegos Potamos cecidissent, quod quantum scio solus Lysias hoc loco indicat et ab historiae scriptoribus neglectum est. Hos detulit Agoratus; cf. 13. 18.

Plane assentior Cobeto in longa illa periodo, quae est § 4 et sq. verba *δυστυχοῦντος τοῦ δήμου* esse omittenda quod impediant sententiam. Sed turbant etiam participia *ληφθείς* et *ἀπελαυνόμενος* quae cum *ἠθέλησεν* iuncta elumbem et inconcinnam faciunt structuram; quare post *πείθεσθαι* puto intercidisse *ἀλλά*, ut primariae sententiae partes sint: *ἐν τοιούτῳ καιρῷ ληφθείς* —, *οὐκ ἀπελαυνόμενος* (= *οὐκ ἀναγκασθείς*) *ἀλλ' ἐξὸν τῶν τριάκοντα γενέσθαι, μᾶλλον εἵλετο ἀπολέσθαι ἢ ἐπιδεῖν* —; quae periodus rotunda est et oratoria. Vides sic etiam melius *ἀπελαυνόμενος* et *ἐξόν* inter se opponi, quam in vulgata lectione priorem posteriori sententiae.

*οὐδ' ἰδίας ἔχθρας ὑπαρχούσης πρὸς τοὺς ἄρξειν μέλλοντας*, nempe *cum ipso*. Legendum *συνάρξειν*.

§ 7. *συνῄδεσαν γὰρ ἅπασιν αὐτοῖς ὑπὸ τῆς πόλεως τιμωμένοις, καὶ* — *κεκινδυνευκόσι, μεγάλας δ' εἰσφορὰς εἰσενηνοχόσι καὶ λελειτουργηκόσι κάλλιστα, καὶ τῶν ἄλλων οὐδενὸς πώποτ' ἀποστᾶσιν, ὧν ἡ πόλις αὐτοῖς προσέταξεν, ἀλλὰ προθύμως λειτουργοῦσι*. G. A. Hirschig (Misc. Philol. et Paed. fasc. II. p. 135) pro *λελειτουργηκόσι* restituendum putat *κεχορηγηκόσι*, postrema non mutans. Propius vero videtur, librarium festinanter postremam vocem legentem, cum *λειτουργεῖν* ex superioribus in memoria haereret, hoc substituisse pro *ὑπουργεῖν*, ut legendum sit *ἀεὶ ὑπουργοῦσι*. Ex ΑΕΙΥΠΟΥΡΓ. omisso υ factum est ΛΕΙΤΟΥΡΓ. Alia tentamina affert Scheibius in Praef. Cobetus tria postrema vocabula eiecit. Equidem nollem abesse. Saepius Lysias ex oppositione affirmativae sententiae post negativam gravitatem quandam asseverandi quaerit (cf. ad or. 13). Nec obest, quod praesens post praeterita sequitur (cf. 3. 23) et ex praegresso *οὐδενός* contrarium *πάντα* cogitatione addendum est.

§ 13. *ἡγούμενος αὐτῷ καλὴν εἶναι τὴν ἀπόδειξιν καὶ πρὸς*

τοὺς πολίτας καὶ πρὸς τοὺς ξένους, ὅτι Ἀθήνησι τοσοῦτον δύναται, ὥσθ' ὑμᾶς τοὺς αὐτούς, περὶ ὧν ὅρκους ὀμωμόκατε, ὑμῖν αὐτοῖς τἀναντία ποιεῖν ψηφίζεσθαι. De postremis tacent interpretes. Fieri potest ut fallar, sed horum sententia impeditissima aut potius nulla videtur, nisi eiiciantur verba τοὺς αὐτούς. Egregia vero laus erit Poliocho si ostenderit „tantum „se posse Athenis, ut efficere possit, ut in iis rebus, de „quibus iuraveritis, vobismet ipsis contraria decernatis."

§ 16. ἄξιον δὲ μάλιστα φθονῆσαι ὅτι οὕτως ἤδη οἱ τὰ τῆς πόλεως πράττοντες διάκεινται. Iure multis φθονῆσαι illud nude positum suspectum fuit; rhetores enim invidia dignos si significare voluisset, hos statim commemorasset. Tamen aegre careo verbo φθονῆσαι, quod lectius est et significantius quam θαυμάσαι, ἀγανακτῆσαι (Dobr.) aut, quod mihi coll. § 25 aliquando placuit, βοηθῆσαι. Porro διάκειμαι non recte se habet: est *affectus sum, eo redactus sum*; πρός τινα vel τι: *referri ad;* sed *eo potentiae perveni* non est οὕτω διάκειμαι. Legendum videtur ἄξιοι δὲ μάλιστα φθονῆσαι. De infinitivo activo si tanti est, cf. gramm. mea § 55. 10 et ann. 32. Deinde οἱ οὕτως ἤδη τὰ τῆς πόλεως πράττοντες, ὥστ' οὐχ κ. τ. ἑ. Οἱ est emendatio in margine posita τοῦ ὅτι, sed alieno loco inserta. Cf. ad 25. 1. In fine sententiae propter oppositionis concinnitatem ἀφ' ὧν ἂν — ταῦτα conjunctione disiungenda non videntur (ταῦτα δ' Baiter, καὶ ταῦτα Cobet), quod factum ab editoribus ne αὐτοί soloece ab oratore dictum esset. Vereor, ut contra consensum Dobrei, Hamakeri, Scheibii, Cobeti sententiam obtineam; sed tamen hic, si quis est, soloecismus non ita mihi intolerabilis est, quin propter gravitatem oppositionis a Lysia admissum credam. Adiuvatur enim αὐτός partim manifesta oppositione cum superioribus οὐχ ὅ τι ἂν τῇ πόλει βέλτιστον ᾖ, partim eo quod subiectum ὑμεῖς, quod οὗτοι postularet, post ponitur; denique quod verba ταῦθ' ὑμεῖς ψηφίζεσθε idem fere significant atque ταῦτα ῥᾳδίως διαπράττονται.

§ 23. εἰς τοὺς οὕτω πολιτευομένους ὑπὲρ τῆς πολιτείας ἧς καὶ

ὁ πατὴρ καὶ οἱ προςήκοντες ἡμῖν ἀπέθανον. Requiro ante ἧς praepositionem ὑπέρ, non quod ubique ante relativum sit repetenda, sed quia iis certe locis ubi relativum suum verbum habet a priori diversum nec sententia relativa attributi locum tenet (veluti 44) abesse non potest. Cf. 31. 18: οἳ νῦν αὐτῷ δι' αὐτὸ τοῦτο οὐχ οἷοί τ' εἰσὶν ἐπεξελθεῖν ἅπαντες, δι' ὅπερ καὶ τότε ἀδύνατοι τῇ πόλει βοηθεῖν ἦσαν. Sed praeterea etiam repetitio praepositionis satis usitata est. 22. 15. ἐν τούτοις τοῖς καιροῖς ἐπιβουλεύουσιν ἡμῖν, ἐν οἷσπερ οἱ πολέμιοι. 18. 5: ἐν τοιούτῳ καιρῷ ἐν ᾧ. 26. 13: ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις, ἐν οἷς ἀπήγοντο. Similiter 13. 93*, Aesch. 3. 81, Isocr. 6. 45, 7. 48. Ante appositionem praepositio repetita est 3. 25: περὶ τούτου μόνου, περὶ τοῦ δεδωκέναι τὸ ἀργύριον. Praepositionem esse repetendam post adversativa καί — καί per se intellegitur; cf. supra 11 sub f., quare § 6 διά, § 13 πρός cum Cobeto post καί interponendum.

Ceterum οὕτω ante πολιτευομένους suspectum mihi est.

Non mala est oratio, vix tamen digna quae a Dobreo, verborum ceteroquin tam parco, dicatur „*praestantissimum* frag- „mentum." Non magnam habet inventionis neque dispositionis laudem; tum etiam eadem sententia saepius repetitur, quod nihil mirandum est in iudicum exoratione, qua absumitur tota oratio (cf. § 1 ὧν προςήκοντες et quae sequuntur cum 21 καὶ τῶν προγόνων τῶν ἡμετέρων et cum 24 τῶν γὰρ προςηκόντων οἱ μὲν sqq.; § 8 καίτοι τίνες cum 12 καίτοι δεινόν sqq.) nam similia in huiusmodi argumento apud veteres oratores vulgo inveniuntur; per se tamen tale quid nihil pulcrum habet nec quod magnopere admirere. Potest oratio bene graece scripta et nihilominus ieiuna esse.

### XIX. ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ ΧΡΗΜΑΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΟ ΔΗΜΟΣΙΟΝ.

Aristophanes, filius Nicophemi, capite damnatus erat, eiusque bona publicata. Ex iis quum minus rediret, quam possedisse putabatur, socer Aristophanis in suspitionem venit

pecuniae clam ante bona publicata surreptae. Igitur quod hic haberet publica bona, eius res familiaris fisco vindicatur. Ea causa nunc agitur; dicit filius accusati; ipse enim socer ante iudicium decesserat (§ 62).

Ostendendum igitur erat et Aristophanem non plura habuisse, quam apud eum inventum et in aerarium relatum esset, et, si vel maxime plura habuisset, non probabile esse haec socero ab eo credita fuisse.

Igitur haec deinceps exponuntur. Primum enim sortem suam iniquam miseratur, quod soror (Aristophanis vidua) cum liberis iam sibi alenda sit eo tempore quo haereditas patris in discrimen veniat (— § 11). Tum Aristophanem eiusque patrem Nicophemum non divites fuisse ostendit, nec patrem suum propter divitias hanc affinitatem quaesivisse (— § 17). Non magna, inquit, postea familiaritas intercedebat inter Aristophanem et eius socerum (§ 18); ac tantum aberat ut socero ex suis bonis aliquid committeret, ut contra ab hoc aliquando mutuam sumserit pecuniam (— § 24). Aristophanes in Cypriam expeditionem omnia insumsit, ex qua redux damnatus est (— 27). Comparatione cum Cononis bonis instituta ostenditur non improbabile esse Aristophanem non plura habuisse (— § 44). Et saepius erraverunt in aestimatione bonorum Athenienses (— 52). Post brevem argumentorum repetitionem (55) desinit in patris suisque moribus et meritis in rempublicam commendandis.

Misera erat iudiciorum ratio eo tempore, quod bellum Peloponnesiacum proxime secutum est, quum per fas et nefas exhausto aerario subvenire conarentur Athenienses. Cf. Nicom. (30) 22: *εἰδὼς ὅτι ἡ βουλὴ ἡ ἀεὶ βουλεύουσα, ὅταν μὲν ἔχῃ ἱκανὰ χρήματα εἰς διοίκησιν, οὐδὲν ἐξαμαρτάνει, ὅταν δ' εἰς ἀπορίαν καταστῇ, ἀναγκάζεται εἰςαγγελίας δέχεσθαι καὶ δημεύειν τὰ τῶν πολιτῶν καὶ τῶν ῥητόρων τοῖς τὰ πονηρότατα λέγουσι πείθεσθαι.* In causa Eratonis (17) ea, quae publico iudicio fuerant adiudicata, postea rursus eadem auctoritate abiudicantur ut aerario cedant. In hac ipsa oratione § 11, *χα-*

*λεπὸν μὲν οὖν*, inquit orator, *ἀπολογεῖσθαι πρὸς σπάνιν ἀργυρίου, ἣ νῦν ἐστιν ἐν τῇ πόλει, καὶ τοῦ ἀγῶνος πρὸς τὸ δημόσιον ὄντος.* Igitur fieri potest, ut iudices, quibus „unum opus" esset aerarium per iudicia locupletare, facilius argumenta reorum vulgaria perceperint quam nos, quibus furta et rapinae sub specie iuris commissa usu nota non sint; veruntamen argumenta non tam brevitate obscura sunt (quae brevitas, si ad gnaros verba fiunt, debet condonari) quam magnis ambagibus perplexa; undecunque argumenta arripiens subinde nihil probat orator. Etiam quo consilio singula afferantur, non clare docemur (de quo vitio cf. supra p. 119). Et tamen indicia, unde recentioris rhetoris declamatio agnoscatur, non inveniuntur. Res memoratae cum historicorum testimoniis conveniunt; similesque naevi alibi quoque apud Lysiam non desunt. Itaque non dubito, quin Lysiae sit oratio, sed non est optima ex Lysiacis.

Sectiones 2—5 ad verbum paene conveniunt cum Andocidis oratione de Mysteriis § 1—7. Locum communem ex *τέχνῃ* quadam depromtum multi interpretes putant; alii Andocidem exemplo fuisse Lysiae; alii rhetorem quendam, qui Andocidis nomen prae se ferat, ex Lysia hausisse. Res satis lubrica est. Operae pretium fuerit utrumque locum describere.

| Lysias. | Andocides. |
|---|---|
| 2. *τὴν μὲν οὖν παρασκευὴν καὶ προθυμίαν τῶν ἐχθρῶν ὁρᾶτε, καὶ οὐδὲν δεῖ περὶ τούτων λέγειν· τὴν δ' ἐμὴν ἀπειρίαν πάντες ἴσασιν, ὅσοι ἐμὲ γιγνώσκουσιν.* | 1. *Τὴν μὲν παρασκευὴν ὦ ἄνδρες καὶ τὴν προθυμίαν τῶν ἐχθρῶν τῶν ἐμῶν, ὥστ' ἐμὲ κακῶς ποιεῖν ἐκ παντὸς τρόπου καὶ δικαίως καὶ ἀδίκως ἐξ ἀρχῆς ἐπειδὴ τάχιστ' ἀφικόμην εἰς τὴν πόλιν ταυτηνί, σχεδόν τι πάντες ἐπίστασθε, καὶ οὐδὲν δεῖ περὶ τούτων πολλοὺς λόγους ποιεῖσθαι·* |
| *αἰτήσομαι οὖν ὑμᾶς δίκαια καὶ ῥᾴδια χαρίσασθαι, ἄνευ* | *ἐγὼ δ' ὦ ἄνδρες δεήσομαι ὑμῶν δίκαια καὶ ὑμῖν* |

ὀργῆς καὶ ἡμῶν ἀκούειν, ὥσπερ τῶν κατηγόρων (fort. καὶ ὁμοίως ἡμῶν cf. Dem. 18. 1).

3. ἀνάγκη γὰρ τὸν ἀπολογούμενον, κἂν ἐξ ἴσου ἀκροᾶσθε, ἔλαττον ἔχειν. οἱ μὲν γὰρ ἐκ πολλοῦ χρόνου ἐπιβουλεύοντες, αὐτοὶ ἄνευ κινδύνων ὄντες, τὴν κατηγορίαν ἐποιήσαντο, ἡμεῖς δ' ἀγωνιζόμεθα μετὰ δέους καὶ διαβολῆς καὶ κινδύνου (add. τοῦ?) μεγίστου. εἰκὸς οὖν ὑμᾶς εὔνοιαν πλείω ἔχειν τοῖς ἀπολογου-
4. μένοις. οἶμαι γὰρ πάντας ὑμᾶς εἰδέναι ὅτι πολλοὶ ἤδη πολλὰ καὶ δεινὰ κατηγορήσαντες παραχρῆμα ἐξηλέγχθησαν ψευδόμενοι οὕτω φανερῶς, ὥσθ' ὑπὲρ πάντων τῶν πεπραγμένων μισηθέντες ἀπελθεῖν· οἱ δ' αὖ μαρτυρήσαντες τὰ ψευδῆ καὶ ἀδίκως ἀπολέσαντες ἀνθρώπους ἑάλωσαν, ἡνίκ' οὐδὲν ἦν πλέον τοῖς πεπονθόσιν. ὅτ' οὖν τοιαῦτα πολλὰ γεγένηται, ὡς ἐγὼ ἀκούω, εἰκὸς ὑμᾶς ὦ ἄνδρες δικασταί, μήπω τοὺς τῶν κατηγόρων λόγους ἡγεῖσθαι πιστούς, πρὶν ἂν καὶ ἡμεῖς εἴπωμεν.

τε ῥᾴδια χαρίζεσθαι καὶ ἐμοὶ ἄξια πολλοῦ τυχεῖν παρ'
6. ὑμῶν —. αἰτοῦμαι οὖν ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες, εὔνοιαν πλείω παρασχέσθαι ἐμοὶ [τῷ ἀπολογουμένῳ] ἢ τοῖς κατηγόροις, εἰδότας ὅτι κἂν ἐξ ἴσου ἀκροᾶσθε, ἀνάγκη τὸν ἀπολογούμενον ἔλαττον ἔχειν. οἱ μὲν γὰρ ἐκ πολλοῦ χρόνου ἐπιβουλεύσαντες καὶ συνθέντες, αὐτοὶ ἄνευ κινδύνων ὄντες, τὴν κατηγορίαν ἐποιήσαντο· ἐγὼ δὲ μετὰ δέους καὶ κινδύνου καὶ διαβολῆς τῆς μεγίστης τὴν ἀπολογίαν ποιοῦμαι. εἰκὸς οὖν ὑμᾶς ἐστιν εὔνοιαν πλείω παρασχέσθαι ἐμοὶ ἢ τοῖς κατηγόροις. ἔτι
7. δὲ καὶ τόδε ἐνθυμητέον, ὅτι πολλοὶ ἤδη πολλὰ καὶ δεινὰ κατηγορήσαντες παραχρῆμα ἐξηλέγχθησαν ψευδόμενοι οὕτω φανερῶς, ὥσθ' ὑμᾶς πολὺ ἂν ἥδιον δίκην λαβεῖν παρὰ τῶν κατηγόρων ἢ παρὰ τῶν κατηγορουμένων· οἱ δ' αὖ μαρτυρήσαντες τὰ ψευδῆ ἀδίκως ἀνθρώπους ἀπολέσαντες, ἑάλωσαν παρ' ὑμῖν ψευδομαρτυριῶν, ἡνίκ' οὐδὲν ἦν ἔτι πλέον τοῖς πεπονθόσιν. Ὁπότ' οὖν ἤδη πολλὰ τοιαῦτα γεγένηται, εἰκὸς ὑμᾶς ἐστι μήπω τοὺς τῶν κατηγόρων λόγους πιστοὺς ἡγεῖσθαι.

Apud Lysiam § 2 per *μὲν οὖν* quasi ad novam rem transitus fit, quamvis paulo post (*τὴν δ' ἐμὴν ἀπειρίαν γιγνώσκουσι*) redeat ad id quod iam significaverat (§ 1 *εἰ καὶ μὴ δεινός*); Lysias alterum membrum, ut identidem hominem imperitum dicendi ostenderet, addidit. Apud Andocidem hoc iure deest; quae autem dicuntur de adversariorum odio superioris temporis mentione comprobantur; ut si sit eligendum utrius verba sint loco communi similiora, Lysiae profecto dicenda sint. Apud Lysiam postquam orator petivit, ut *eadem* benevolentia se atque adversarios audirent, paulo post idem aequum esse dicit iudices *εὔνοιαν πλείω ἔχειν τοῖς ἀπολογουμένοις*, qualis discrepantia apud Andocidem non deprehenditur. Aptius Andocides § 7 *ὥσθ' ὑμᾶς πολὺ ἂν ἥδιον — κατηγορουμένων* quam Lysias § 4: *ὥσθ' ὑπὲρ — ἀπελθεῖν* (*ὑφ' ἁπάντων τῶν παραγενομένων* Dobreus et Westerm.), quae de multis aliis quam de iudicio dici possunt. Reliqua minoris momenti sunt; diligentior sane oppositio est inter *τὴν κατηγορίαν ἐποιήσαντο* et *τὴν ἀπολογίαν ποιοῦμαι* apud Andocidem quam inter *τ. κ. ἐπ.* et *ἀγωνιζόμεθα* sed haec nihilo deterior; et quod Andocides alia quadam periodi conformatione *ψευδομαρτυριῶν* addit post *ἑάλωσαν*, potest id ut apud Lysiam abesse. His igitur omissis ex reliquis apparere videtur Andocidem potius Lysiae praeiisse quam contra; neque ex communi fonte utrumque locum fluxisse ex comparatione utriusque oratoris colligi potest; nam apud Andocidem sectio 2 supra descripta (quam omittit Spengel, Artium scriptt. p. 106) et ea quae inter hanc et quintam sectionem interponuntur arte cum causa connexa sunt. Utique non mihi convenit cum Doct. Naber, qui in diss. de fide Andocidis orationis de Mysteriis p. 17: „si alter, inquit, locus fuit „fons alterius, Lysiae locus est sine dubio antiquior."

Sequuntur § 5 apud Lysiam *ἀκούω γὰρ ἔγωγε, καὶ ὑμῶν δὲ τοὺς πολλοὺς οἶμαι εἰδέναι, ὅτι πάντων δεινότατόν ἐστι διαβολή. μάλιστα δὲ τοῦτ' ἔχοι ἄν τις ἰδεῖν, ὅταν πολλοὶ ἐπὶ τῇ αὐτῇ αἰτίᾳ εἰς ἀγῶνα καταστῶσιν. ὡς γὰρ ἐπὶ τὸ πολὺ οἱ τε-*

λευταῖοι κρινόμενοι σώζονται· πεπαυμένοι γὰρ τῆς ὀργῆς αὐτῶν ἀκροᾶσθε, καὶ τοὺς ἐλέγχους ἤδη θέλοντες ἀποδέχεσθε. In quibus primum miramur, eum *fando* audivisse, calumniam esse rem miserrimam; novimus hoc usu experti non ex hominum rumoribus. Iuvenis sane erat, cui hanc orationem scripsit Lysias (cf. 55) quo pertinet etiam imperitiae excusatio § 1 et 2, cf. § 45 ἀκήκοα, 53 φασί. Sed affectata videatur necesse est talis ignorantia in cive liberae civitatis, in qua plurimum invidia polleat. Quod si tam bardum ac paene infantem voluit proponere oratorem Lysias, dicendum est illum male personam in sequentibus sustinuisse. Deinde (μάλιστα δέ, κ. τ. ἑ.) non probatur quod demonstrari debebat, *calumniam* esse rem turpissimam, sed *iracundiam* multum valere. Procedere sic debebat argumentando: „calumnia „tantum valet ut iracundiam excitare possit; nam eo quod „postremi saepius absolvuntur, iram calumniis motam esse „apparet." Dicendum erat τῇ διαβολῇ fieri, ut primus quisque qui ea petatur condemnetur, non postremos absolvi.

Sed alibi quoque demonstratio est minus perspicua veluti § 34. Aristophanes, cuius bona publicata erant, reliquerat domum cum vasis et praediolum sed cuncta multo minora quam quisquam opinatus erat. Iam orator ut demonstret quae inventa essent post Aristophanis mortem omnia esse quae possedisset, fictum proponit exemplum. „Si Timotheus, inquit, Cononis filius (qui fortunatus putabatur Arist. Plut. „180) nunc damnaretur eiusque bona publicarentur et inve- „niretis non amplius quatuor talenta, putaretisne eius ne- „cessarios abstulisse reliqua? Multo minus de filio Nicophemi „Aristophane mirum debet videri; nam Nicophemus legatus, „Conon dux in bello erat, quem maiorem partem praedae „accepisse consentaneum est." Adhuc omnia recte procedunt. Quatuor talentorum summa (Bakius τετταράκοντα, Schol. Hypomn. III. p. 201) memorari videtur, quod tantum fere redisset ex auctione bonorum Aristophanis, cuius domum et agrum quae quinque talentis emisset (§ 42) quatuor fere post mortem

venisse talentis admodum probabile (cf. 18. 20). Provocat orator ad hominem, qui favore populi non exciderat, ut eius exemplo doceat, quid aequitas postulet. Haec igitur recte se habent. Deinceps vero accidit oratori, ut dum *nimis* cupiat causam probare, *minus* probet. Utrique filio a patre vivo non eandem argenti summam fortasse datam fuisse, nemo facile auditorum erat reputaturus. Igitur dum orator, et infirmis quidem argumentis, hoc non factum esse demonstrare instituit, dubitationem movet apud auditores. Numquam, inquit § 36, dissensio ulla fuit inter Nicophemum et Cononem; itaque de pecunia quoque idem sensisse probabile, et filiis cum hinc proficiscerentur nihil reliquisse nisi quod satis esset unde viverent. Quae argumentatio subinepta videtur. Quomodo enim ex familiaritate quae inter patres quosdam exsistit, ad consiliorum omnium et factorum similitudinem quidquam colligi potest? Sectione 38 redit ad argumentationem modo abruptam, sed nunc computatione bonorum Cononis haec mirum in modum impeditur. „Sed non „probabile est, inquit § 39, vos de Timothei probitate dubi„taturos fuisse." Quidni vero? „Quia *sciebatis* Cononem „minora reliquisse." Sed hoc nihil ad praesentem causam; de Nicophemo nihil notum erat; imo infringitur et debilitatur superior argumentatio. Si Timotheo fidem habuissent iudices *quoniam constabat quid pater reliquisset*, eosdem non dedecebat de Aristophanis bonis dubitare, de cuius patrimonio nihil notum esset.

Nimirum exemplum a Conone et Timotheo sumtum nunc alio convertitur, ut ostendatur, si Conon minora reliquerit quam exspectarint homines, idem posse accidere in Nicophemi bonis; tum ipsa summa bonorum Cononis cum Aristophanis comparata, appareat tertiam Cononis bonorum partem Aristophanem possedisse; quapropter iudices non credere debeant, se quidquam celatos esse. Haec bene sane se habent, sed ita nexa sunt superioribus et permixta, ut locus perplexus sit et turbatus. Quod vitium multo mihi maius videtur quam

captiosa proponere argumenta, quibus laus callidi oratoris non subvertitur; peius est, si argumenta non tam nihil probant prudentibus, quam intellegi non possunt ab iis, quibus destinata sunt, nec apparet quae laus sit tenuitatis Lysiacae, si perspicuitas absit.

In reliqua oratoris demonstratione non statim ubique nexus apparet. Ita § 12 subito narratio instituitur, quomodo affinitas Nicophemum inter et patrem oratoris inita esset: *πρῶτον μὲν οὖν, ᾧ τρόπῳ κηδεσταὶ ἡμῖν ἐγένοντο, διδάξω ὑμᾶς.* Hoc primo ad causam interesse parum videtur. Sed dum pergitur narrando, apparet affinitatem cum Nicophemo et Aristophane non quaesitam esse propter divitias. Atque hoc erat illud quod animadvertere potissimum operae pretium erat. Similiter sectione 18 non disertis verbis dicitur non probabile esse quidquam Aristophanem patri oratoris dedisse, tantum non magnam consuetudinem inter utrumque intercessisse; unde quid consequatur colligendum auditoribus relinquit. Sectione 44: *καὶ οὐ προςλογ. κ. τ. ἑ.* hoc vult orator: si simul computari possent, quae sibi Cypri reservaverit Nicophemus, etiam minus discrimen appareret inter Cononis et Aristophanis bona. Sed verba, ut nunc leguntur, ad demonstrandum admodum ambigua sunt. Friget etiam § 52 eo potissimum loco positum *ἔπειτα.*

Denique tenendum puto, si vim suam sectioni 28 constare velimus, necesse esse credamus paulo post discessum Aristophanem damnatum esse. Sectione 19—26 demonstraverat Aristophanem ad Cypriam expeditionem undique sumsisse pecuniam mutuam. Hoc postquam testimonio firmavit pergit: *ὅτι μὲν τοίνυν οὐ κατέλιπεν Ἀριστοφάνης ἀργύριον οὐδὲ χρυσίον, ῥᾴδιον γνῶναι ἐκ τῶν εἰρημένων καὶ μεμαρτυρημένων.* Ubi sermonem esse de iis quae moriens reliquisset, apparet ex sequentibus. Tam exiguum temporis intervallum igitur intercesserat ut in censum veniret nihil necesse esset, quod etiam recte convenit cum § 43. Atque hinc intellegitur ex duabus expeditionibus in Cyprum susceptis, de qui-

bus vid. Xenophon Hell. IV. 8. 24 et V. 1. 10, quarum illa ad Ol. XCVII. 3, haec ad XCVIII. 1 refertur, posteriorem a Lysia significari; nam hanc orationem habitam esse Ol. XCVIII. 1 aut 2 constat (cf. § 50 cum Xen. Hell. V. 1. 25) i. e. anno aut biennio post quam Plutus Aristophanis acta est. Neque obest quod § 28 et seq. dicitur Aristophanes Nicophemi filius *quatuor* aut *quinque* annis post Eubulidem arch. i. e. Ol. XCVI. 3, quae habuisset acquisivisse, quum inter hunc annum et Ol. XCVIII. 1 *sex* anni intersint. Oratoris enim illo loco interest tempus minuere; itaque pro: *amplius quinque annis* (nam *pleni* sex anni intersint non necesse est) posuit *quatuor aut quinque* (ἐν τέτταρσιν ἢ πέντ' ἔτεσιν). Eandem sententiam Bakius, sed alio usus argumento, defendit l. l. p. 197, sqq.

De singularibus quibusdam locis haec addenda sunt.

§ 8. De liberis Aristophanis: ἀλλὰ καὶ ἡ ὑπόλοιπος ἐλπὶς ἦν, ὑπὸ τοῦ πάππου ἐκτραφῆναι, ἐν οὕτω δεινῷ καθέστηκεν. Non tantum mortuus erat Nicophemus, sed etiam maternus liberorum avus, cf. § 62. Non poterant itaque ὑπὸ τοῦ πάππου ἐκτρέφεσθαι sed ἐκ τῶν τοῦ π. Actionem in dotem matris institutam fuisse, quae iniuria cum Aristophanis bonis esset publicata, iure hinc efficit Bakius p. 214.

§ 10. μὴ οὖν προκαταγιγνώσκετε ἀδικίαν τοῦ εἰς αὐτὸν μὲν μικρὰ δαπανῶντος, ὑμῖν δὲ πολλὰ καθ' ἕκαστον τὸν ἐνιαυτόν, ἀλλ' ὅσοι κ.τ.ἑ. Scaligerus iudicavit aliquid hic deesse post ἐνιαυτόν. Cui ut assentiar facit non tantum dura verbi in altero membro omissio sed etiam structurae varietas, dativo ὑμῖν post εἰς αὐτόν illato, quam hoc loco perspicuitatis causa orator, ut opinor, vitavisset. Levem quandam habet ἀναλίσκω (ἀναλώσαντος) commendationem ex similitudine proximarum litterarum (ΑΛΛΟΣ). Sed multa alia apta essent quae dativum *solent* adsciscere ut λειτουργεῖν, εἰςφέρειν, ὑπουργεῖν. Acute Sluiterus καθ' ἕκ. δοντὸς ἐν. Vocabula in codicibus Lysiae cum alibi omissa tum infra § 21: οὐ γὰρ μόνον εἰς τὰς ναῦς..., ἀλλὰ καὶ πελταστὰς ἐμισθώσαντο καὶ ὅπλα ἐπρίαντο, ubi aut

verbum aliquod (velut ipsum illud *ἀναλίσκειν*) aut substantivum ante *εἰς τὰς ναῦς* (*ἐπιβάτας* aut sim.) desidero.

In iis quae sequuntur § 10 *ἀλλ' ὅσοι καὶ τὰ πατρῷα καὶ ἄν τί ποθεν λάβωσιν εἰς τὰς αἰσχίστας ἡδονὰς εἰθισμένοι εἰσὶν ἀναλίσκειν*, in codice Palat. pro *λάβωσιν*, quod ex Laurentiano sumtum, est *μὴ δῶσιν*. In ΜΗΔΩCIN latet fortasse ΜΤΔΩΤIC i. e. *μεταδῷ τις*.

§ 13. Pater meus Conone meam sororem petente *ἐπείσθη δοῦναι* (Νικοφήμῳ), *οὐκ εἰδὼς τὴν ἐσομένην διαβολήν, ἀλλ' ὅτε καὶ ὑμῶν ὁστισοῦν ἂν ἐκείνοις ἠξίωσε κηδεστὴς γενέσθαι*. — *'Αλλ' ὅτε* emendatio est Sluiteri omnibus nunc probata; sed quum superiorum vis causalis (*quum non novisset*) et iunctura per *ἀλλ' ὅτε* propterea minus apta sit, non puto in ea acquiescendum. Palatinus *ἄλλως τε*, quod plane hic dicitur ut 7. 6: *ὥστε πῶς ἂν δικαίως ὑπὲρ τῶν τῇ πόλει γεγενημένων συμφορῶν ἐγὼ νυνὶ δίκην διδοίην; ἄλλως τε καὶ τοῦτο τὸ χωρίον ἐν τῷ πολέμῳ δημευθὲν ἄερκτον ἦν πλεῖν ἢ τρία ἔτη*. 28. 5: *οἶμαι δ' ἔγωγε πάντας* (*ἂν*) *ὑμᾶς ὁμολογῆσαι — οὐδέν' ἂν ὑμῶν ἐπιτρέψαι τὰς ναῦς ἐκεῖνον ἔχοντ' ἐκπλεῦσαι. ἄλλως τε καὶ ἐπειδὴ τάχισθ' ὑμεῖς ἐψηφίσασθε τὰ χρήματα ἀπογράψαι*—*'Εργοκλῆς ἔλεγε κ. τ. ἑ.* (*accedebat quod*, *et praeterea*).

§ 18. *ἐκείνῳ μὲν γὰρ ἦν τὰ αὑτοῦ πράττειν*, „*licebat* illi res suas agere." Non hoc requiritur; sed *placebat*, *sufficiebat*. Fortasse *ἦν* litteris quibusdam evanidis exstitit ex ἭρεσκεΝ, pro *ἤρεσκε* scripto. In hanc coniecturam Dobreum quoque incidisse video.

§ 15. Versatur argumentatio in eo, ut appareat, patrem eius, qui causam dicit, non propter divitias filiam Aristophani collocasse; in quam partem dicit orator post alia haec: *τὰς τοίνυν ἐμὰς ἀδελφὰς ἐθελόντων τινῶν λαβεῖν ἀπροίκους πάνυ πλουσίων, οὐκ ἔδωκεν —, ἀλλὰ τὴν μὲν Φιλομήλῳ τῷ* Παιανιεῖ —, *τὴν δὲ πένητι γεγενημένῳ οὐ διὰ κακίαν, ἀδελφιδῷ δὲ Φαίδρῳ ὄντι Μυῤῥινουσίῳ, ἐπιδοὺς τετταράκοντα μνᾶς, καὶ 'Αριστοφάνει τὸ ἴσον*. Non videtur ad sororem oratoris, quae nupta fuerat Aristophani, respicere posse orator; in ea collo-

canda quid factum esset a patre, apparere demum auditoribus debebat ex iis, quae de reliquis filiabus constarent, non tanquam notum et certum proponi; quod si factum esset, in illud vitium incidisset orator, quod principii petitio appellari solet. Dicit alteram cessisse Philomelo pauperi, alteram Phaedro. Tertiam diviti collocatam esse, non ut doti parceret pater, sed quia bene moratus esset Aristophanes, ex his colligi debet; cf. § 17. Accedit quod *καὶ Ἀριστοφάνει τὸ ἴσον*, quae, si credis, dicta sunt pro: *τὴν δὲ Ἀριστ. τὸ ἴσον ἐπιδούς*, admodum turbant locum. Adscripta sunt a sedulo quodam sed importuno interprete. Rauchensteinius non perspecta argumentatione ex § 17 apparere putat, duas tantum filias habuisse oratoris patrem. Pro *ἀδελφιδῷ δὲ Φαίδρῳ ὄντι Μυῤῥινουσίῳ* dudum ex Taylori coniectura repositum oportuit *ἀδ. δ' ὄντι Φ. τῷ Μ.* Concinnius sic legitur (*πένητι γεγενημένῳ — ἀδελφιδῷ δ' ὄντι*), quam si *ὄντι* eiicias. Casu omissum a librario et in margine scriptum *ὄντι* alieno loco insertum est.

§ 19. Quum Conon legatum in Siciliam mittere vellet Aristophanes *ᾤχετο ὑποστὰς μετὰ Εὐνόμου καὶ Λυσίου, φίλου ὄντος καὶ ξένου, τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον πλεῖστ' ἀγαθὰ πεποιηκότος, ὡς ἐγὼ ἀκήκοα τῶν ἐν Πειραιεῖ [τῶν] παραγενομένων.* Parum apta videtur haec ambitiosa praedicatio meritorum in rempublicam. Quaeritur praeterea, cuius *φίλος καὶ ξένος* Lysias dicatur. Nam inquilini (*μετοίκου*) condicionem iis verbis significari non puto, ut statuit Bakius p. 194, potius crediderim ut vulgo (cf. si tanti Xen. An. II. 1. 4, Dem. 18. 46, 51) sic hic quoque de amicitia et hospitio inter privatos esse cogitandum. Porro ne potuisse quidem Atheniensem inquilinum qui per plures annos Athenis vixisset, suum *ξένον* vocare statuo. Accedit quod Eunomi civis nomen ante Lysiae inquilini nude positum esse sic ut paene delitescat parum probabile est, et Eunomus solus § 23 testis citatur. Denique de Lysiae legatione nihil usquam proditum est. Quare veram puto Sauppii coniecturam a Scheibio

receptam *Διονυσίου φίλου ὄντος καὶ ξένου.* Ita optime ratio affertur, cur Eunomum comitem assumserit Aristophanes. Quod alter genitivus (*Διονυσίου*) ex altero (*φίλου καὶ ξένου*) suspensus est, nihil inter pronunciandum potuit offendere, et similia alibi inveniuntur, veluti Plat. Legg. VIII. 840 B: *νίκης ἕνεκα πάλης καὶ δρόμων.* Alia ex Platone habet Ast. ad Legg. p. 84, sq. ex Thucydide et tragicis Lobeck. ad Ai. p. 334. Non minus ambigue duos dativos iunxit Lysias 25. 27 sub f. *οἷς οὐδ' ἅπαξ ἐλυσιτέλησε πιθομένοις.*

§ 25. Demus, Pyrilampis filius quum in pecuniae inopia versaretur petiit ab oratore ut secum Aristophanem adiret; petiturus erat ab eo sedecim minas mutuas, quas Cypri illi redditurus esset; interim pignoris loco daturum se aureum poculum, quod aliquando a Rege tanquam symbolum hospitale accepisset. In hanc sententiam bene, opinor, Sauppius scripsit: *λέγων (ὁ Δῆμος) ὅτι ἔλαβε σύμβολον παρὰ βασιλέως τοῦ μεγάλου φιάλην χρυσῆν, δώσει δ' Ἀριστοφάνει, λαβὼν ἑκκαίδεκα μνᾶς ἐπ' αὐτῇ, ἵν' ἔχοι ἀναλίσκειν εἰς τὴν τριηραρχίαν,* nisi quod pro *ἵν' ἔχοι* cum Bakio necessarium puto *ὡς δέοι*; post *ἵν' ἔχοι* enim exspectes *τἀναγκαῖα.* Palat. habet *χρυσῆν ὡς Ἀριστοφάνην λαβεῖν — αὐτῇ ἂν ἔχοι.*

§ 28. De Aristophanis bonis agens orator: *ἀλλ' ἐκεῖνο ἐνθυμεῖσθε, ὅτι [πρὶν Νικοφήμῳ ἢ καὶ Ἀριστοφάνει] πρὶν τὴν ναυμαχίαν νικῆσαι γῆ μὲν οὐκ ἦν ἀλλ' ἢ χωρίδιον μικρὸν Ῥαμνοῦντι.* Ita hodie fere legitur pro *γε μήν*; sed *μέν* minus aptum videtur. Redeundum videtur ad lectionem Palatini *μην*, quod per frequentem confusionem litterarum ΛΛ et Μ exstitisse videtur ex *ἄλλη*: *γῆ ἄλλη οὐκ ἦν, ἀλλ' ἢ κ. τ. ἑ.* (*Γῆ ἡμῖν* sententiae adversatur). Praeterea excidisse videtur dativus, quo aegre caremus, *Ἀριστοφάνει* post *ὅτι*; nam verba ibi lecta adscripta videntur fuisse in margine a librario ut lacunam post *ὅτι* ex coniectura suppleret.

§ 29. *Ἔτι δὲ πρὸς τούτοις οἴεσθαι χρὴ ἔπιπλα πολλὰ καταλελοιπέναι*; Sic propter sententiam malim quam cum Reiskio *οἴεσθε χρῆναι.* Libri *οἴεσθαι χρῆναι.* *Οἴεσθαι χρή*; „num con-

venit?" habet indignationem quandam; in altera lectione *οἴεσθε* languidum est. Scheibius quomodo lectionem suam defendat nescio. Kayseri emendatio (Philol. XI. 155) *ὡς οἴεσθε χρῆναι* maior est, nec necessaria.

§ 33. *πῶς ἂν οὖν εἶεν ἄνθρωποι ἀθλιώτεροι, ἢ εἰ τὰ σφέτερ' αὐτῶν ἀπολωλεκότες δοκοῖεν τἀκείνων ἔχειν;* Τἀκείνων non convenit cum generali effato, sed requireretur, si reliqua non mutarentur, *τἀλλότρια* aut *τὰ τῶν κηδεστῶν*, quod sentietur optime si hanc sententiam a reliquis separaveris *οὐκ εἰσὶν ἄνθρωποι ἀθλιώτεροι, ἢ οἵ* (nam sic utique melius scribitur) *τὰ σφ. αὐτῶν ἀπολ. δοκοῖεν ἂν τἀλλότρια ἔχειν* in qua generali sententia *τἀκείνων* absurdum esse quisque sentit. Mihi cum Kaysero, Philol. XI. 155 scribendum videtur *ἡμῶν εἰ — δοκοῖμεν*, sed etiam pro *σφέτερ'* substituendum *ἡμέτερ'*. Cf. Dindorf. ad Xen. CP. VI. 1. 10. Postquam *δοκοῖμεν* depravatum erat in tertiam personam, videtur *ἡμέτερα* a librario huic accommodatum similiter in tertiam abiisse. Ceterum cf. 18. 8. Idem illud *σφέτερ' αὐτῶν* mihi suspectum est § 38; resumit enim orator ibi quod dixerat § 34: *διὰ τοῦτ' ἠξιοῦτ' ἂν . . . καὶ τοὺς προσήκοντας ἀπολέσαι;* quo loco libri habent *ἀπολέσθαι*, sed cf. § 54 ad quam lucem etiam fortasse apparebit § 45 *ἀπολέσαι* esse restituendum. Perire his locis dicuntur, qui sua omittunt; *οὐκ ἀξιῶ* = *deprecor*. Ceterum *σφέτερος αὐτῶν* etiam 13. 45 male intrusum. Aliter de his iudicat Sauppius, Philol. XV. 147. Sectione 36 egregiam Cobeti coniecturam *σὰ* pro *ἴσα* non esse receptam a Westermanno miror.

§ 47. *ὁ τοίνυν Νικίου οἶκος προσεδοκᾶτο εἶναι οὐκ ἔλαττον ἢ ἑκατὸν ταλάντων.* Dignus notatu infinitivus *praesentis* post *προσδοκᾶν*, *exspecto appariturum esse.* Cf. § 48: *προσεδοκᾶτο πάνυ πολλὰ ἐκ τῆς ἀρχῆς ἔχειν.* Xen. An. VI. 1. 16: *οἱ στρατιῶται προσεδόκων ἄγοντά τι σφίσιν ἥκειν*, ubi non magis de advecto iam Chirisopho futurum usurpatur quam reliquis locis *ἕξειν* et *ἔσεσθαι* de bonis, quae tum iam habebant. Paulo ante § 46 sub fin. iure Cobetus *τάλαντα* reposuit pro *ταλάντων*, quod mirere tam diu toleratum esse.

Ib. Νικήρατος (Calliae filius sub xxx viris interfectus) δ' ὅτ' ἀπέθνησκεν, ἀργύριον μὲν ἢ χρυσίον οὐδ' αὐτὸς ἔφη καταλείπειν οὐδέν, ἀλλὰ τὴν οὐσίαν ἣν κατέλιπε τῷ υἱεῖ, οὐ πλείονος ἀξία ἐστὶν ἢ τεττάρων καὶ δέκα ταλάντων. Constructio admodum dura. Raro omnino in attractione inversa accusativus nominis ante relativum pro nominativo substituitur, nisi ubi in longiore periodo ex sententiae conformatione aliquam habet explicationem an excusationem; veluti Lycurg. adv. Leocr. § 42: καὶ τὸν δῆμον, ὃν πρότερον Λακεδαιμόνιοι καὶ Πελοποννήσιοι καὶ οἱ τὴν 'Ασίαν κατοικοῦντες Ἕλληνες βοηθὸν ἐπεκαλοῦντο, οὗτος ἐδεῖτο. Nam ibi per οὗτος quasi denuo resumitur oratio ut est apud Plautum Capt. prol. 1: „hos „quos videtis stare hic captivos duos, vincti quia astant, *hi* „stant ambo non sedent." Et omnino comicis Latinis ex imitatione familiaris consuetudinis magna est in his libertas, de quo nunc sufficiet relegare ad Holtzium, Synt. script. prisc. Latin. usque ad Terentium, I. p. 387, sq. Ad Lycurgum l.l. ex Herodoto simile exemplum affert amicus van den Es. Sed haec a Lysiae loco aeque fere differunt ac Plat. Menon. 81. E: ἣν καλοῦμεν μάθησιν, ἀνάμνησίς ἐστιν. Ex iis quae in gramm. mea § 51 A. 48 allata sunt proxime accedit Isocr. 6. 48: οὐ τὴν μὲν ἐμπειρίαν μᾶλλον τῶν ἄλλων ἔχομεν, πολιτείαν δ' οἵαν εἶναι χρὴ παρὰ μόνοις ἡμῖν ἐστι. Ex Sophocle possunt addi O.T. 449, Trach. 283. Verum in tanta emendandi facilitate his non adducor ut Lysiae locum integrum existimem; ex AΞIAECTIN transpositis litteris AΞIANICTE i. e. ἀξίαν ἴστε conieci scriptum fuisse, quod Reiskio quoque in mentem venisse postea animadverti. Hoc cur verum putem, accedit quod in vulgata lectione quid sibi velint οὐδ' αὐτός non perspicuum est; nunc enim affirmatio Nicerati opponitur ei, quod vulgo constabat de eius bonis. Illa oppositione in vulgata omissa, Nicerati testimonium potius et gravius dicitur quam aliorum, quum tamen eius interesset rem suam familiarem quam minimam dicere; instabat enim publicatio bonorum. Denique praesens ἐστί parum aptum.

§ 48. *οἱ κηδεσταί, παρ' οἷς κατέλιπεν, ὁμολογουμένως πένητές εἰσί.* Cleophon, qui sub triginta viros institutos interfectus est (13. 7, sqq., 30. 10), nihil reliquit; nam si publicationi bonorum, dum in vivis erat, aliquid substraxisset, abscondidisset sane apud affines; sed hi pauperes sunt. Scribendum *παρ' οἷς κατέλιπεν ἄν*, apud quos reliquisset, si quid abscondere potuisset.

§ 50. *ἠκούετ' ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ὡς Διότιμος ἔχοι τάλαντα τετταράκοντα πλείω ἢ ὅσα αὐτὸς ὡμολόγει παρὰ τῶν ναυκλήρων καὶ ἐμπόρων.* Rauchenstein. explicat Diotimum accepisse summam pecuniae quadraginta talentis maiorem quam ipse fateretur. Sed hoc sic graece non dicitur sed *ταλάντοις*, cf. 30. 20 et 21. Itaque legendum videtur: *ταλάντοις τετταράκοντα, πλείω ὅσων αὐτὸς ὡμολόγει, παρὰ τῶν ναυκλήρων καὶ ἐμπόρων* (*ἢ* omittit Palat.). Diotimo (stratego a. 388, cf. Rauchenstein.) crimini dabatur quod ex pecunia a mercatoribus et navium magistris ei soluta pro comitatu et defensione navium vectoriarum, quae per Hellespontum navigabant, non minus quadraginta talenta sibi reservaturus non omnia ex vero indicasset. Simile quid obiectum fuit Erasinidae; cf. Xen. Hell. I. 7. 2. *Καὶ ταῦτα* initio sequentis sententiae (*καὶ ταῦτα — οὐδεὶς ἐξήλεγξε*) necessario referendum esset ad Atheniensium falsam opinionem, in superioribus commemoratam, quod a sequentibus plane abhorret, quibus error ille omnino sublatus esse significatur. Pro *καὶ ταῦτα* requiro *μετὰ ταῦτα δ'*, *postea nemo illum redarguit.* Denique in illis *Ἀθηναίων ἁπάντων ἀκηκοότων ὅτι τετταράκοντα τάλαντα ἔχοι Διότιμος — ἔχειν* est *ἑαυτῷ ἔχειν*, aliis surrepta possidere, cf. 28. 5: *τὰς ναῦς ἔχειν.*

§ 62. Lego: *ὥστε τῷ γ' ἔργῳ τῆς πόλεως ταῦτ' ἔσται* pro *πάλαι τοῦτ' ἔστιν.* Nihil praeterea desideratur.

## XX. ΥΠΕΡ ΠΟΛΥΣΤΡΑΤΟΥ.

Dobreus hanc orationem „non contemnendam" dixit, eandem vero (p. 192) „crasso filo" scriptam. Equidem eam ita

crasso filo compositam existimo, ut „contemnendam" dicere audeam. Multa enim insunt in ea tam insulsa et inepta, ut quare sint improbanda non longa demonstratione egeant. Sic statim

§ 1. *οὔ μοι δοκεῖ χρῆναι ὀργίζεσθαι ὑμᾶς τῷ ὀνόματι τῷ τῶν τετρακοσίων, ἀλλὰ τοῖς ἔργοις ἐνίων.* Claudicat in his oppositio; requiras *ἀλλὰ μᾶλλον τοῖς ἔργοις*, vel *τετρακοσίων ἁπάντων.*

*Οἱ μὲν γὰρ ἐπιβουλεύσαντες ἦσαν αὐτῶν* pro *ἐπιβουλεύσοντες ὑμῖν συνέστασαν*, aut *ἐπιβ. ὑμῖν πάλαι, οἱ δ' κ. τ. ἑ.*

§ 2. *κατηγοροῦσι δ' αὐτοῦ ὡς οὐκ εὔνους ἦν τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ, αἱρεθεὶς ὑπὸ τῶν Φυλετῶν, οἳ ἄριστα διαγνοῖεν ἂν κ. τ. ἑ.* (i. e. „sed electus est a tribulibus, qui optime novissent"), pro *ἡρέθη μέντοι.*

§ 3. *πότερον ὡς ἡλικίαν κ. τ. ἑ.* corrupta.

*εἷς τῶν ὑμετέρων τινά* pro *εἷς τῶν παίδων τῶν ὑμ. τινά.*

*ὁρᾶτ' αὐτοῦ τὴν ἡλικίαν, ἣ καὶ τοὺς ἄλλους ἱκανός ἐστιν ἀποτρέπειν τούτων* pro *δι' ἣν* (Cobet) aut *ἣ* [*καὶ*] *τοὺς ἄλλους ἱκανή ἐστιν.*

§ 4. *ὅστις μὲν οὖν ἄτιμος ὤν, κακόν τι ἐργασάμενος ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ, ἑτέρας πολιτείας ἐπεθύμησε, διὰ τὰ πρόσθεν ἁμαρτήματα αὐτοῦ ἕνεκ' ἂν ἔπραττε.* Bella sententia: *ὅστις κακόν τι ἐργασάμενος — ἐπεθύμησε, διὰ τὰ πρόσθεν ἁμαρτήματα ἐπεθύμησε.* Exspectari poterat: — *ἐπεθύμησε, οὐδὲν θαυμαστὸν ἔπραξεν.* Paulo iam melior fuisset sententia remotis verbis *διὰ τὰ πρόσθεν ἁμαρτήματα.*

*ὥστε μηδὲ τούτων* (i. e. *τῶν παίδων*) *ἕνεκα ἑτέρας πολιτείας ἐπιθυμῆσαι διὰ τὰ πρόσθεν ἁμαρτήματα.* Inepta sunt postrema quatuor vocabula.

§ 5. *ἐν τοῖς πράγμασιν ἐκείνοις.* Si in superioribus scriptum esset *ὡς πολλὰς ἀρχὰς ἦρξεν ἐπὶ τῶν τετρακοσίων* nihil desiderarem. Nunc vero *ἐν τοῖς πράγμασιν ἐκείνοις* (= *ἐν τῇ τότε πολιτείᾳ*) obscura sunt.

*οὐ γὰρ οἱ καλῶς ἄρχοντες προὐδίδοσαν τὴν πόλιν, ἀλλ' οἱ μὴ δικαίως.* „Verum; sed quis id docendus? *καλῶς* e superiore „fluxit. Sensus, *qui saepe, qui multum, qui diu.* Possis „*πολλάκις.*" Dobreus.

§ 6. *οὗτος δὲ πρῶτον μὲν ἄρξας ἐν Ὠρωπῷ οὔτε προὔδωκε καὶ ἑτέραν πολιτείαν κατέστησε*, pro *οὔθ' ἑτέραν πολιτ.* Si vel maxime *καί* post *οὔτε* sequi posset (quod nego) sententia tamen esset: „*neque* prodidit *et* novam instituit rempublicam," quae a loco aliena esset. De re cf. Thuc. VIII. 60.

*οἱ δ' οὐχ ὑπέμειναν* pro *ὑπέμ. τὴν κρίσιν*. Accusativo non addito locus ambiguus est.

*ὁ δ' ἡγούμενος μηδὲν ἠδικηκέναι δίκην δίδωσι.* Ex opposito apparet hic, quemadmodum § 22, *δίκην δ.* esse *causam disceptandam iudicio permittere*, quod alibi est *δικὰς δ.* Cf. Bremius ad Aesch. adv. Ctesiph. 124. Fueritne damnatus an absolutus non liquet; sed prius ut credamus faciunt verba quae sequuntur, quibus de iniquitate iudiciorum queritur.

*καὶ ὁμοίας τὰς κατηγορίας ποιοῦνται τῶν τ' εἰπόντων γνώμην τινὰ ἐν τῇ βουλῇ καὶ τῶν μή.* Confunditur hic alterum iudicium, quod pertinet ad imperium quadringentorum, cum primo de Oropi proditione, quae ante quadringentos facta est. *Τινά* Dobreo iam suspectum fuit; coniecit *γνώμην τινὰ μὴ ἐπιτηδείαν*. Minore cum mutatione pro *τινά ἐν* possis *ἐναντίαν*. Cf. quod paulo post sequitur *τῶν γὰρ λεγόντων ἐναντία ἐκείνοις*. Sed de iis quae pertinent ad causas, quibus implicatus fuit Polystratus, paulo post agemus.

§ 8. *τὸ δέος καὶ ὁ φόβος τῶν πεπονθότων ἀπέτρεπε πάντας.* Male sic pro *ὁ φόβος ὧν οἱ ἄλλοι πεπονθότες ἦσαν.* Quod vereor ne frustra emendare conemur.

§ 9. *τούτους ἂν καθίσταντο.* Dure dictum pro *ἄρχοντας καθίσταντο.* Sed fortasse legendum *ἀντικαθίσταντο*, nim. in locos interfectorum de quibus supra dixerat.

§ 10. *καὶ ἐν μὲν ἑβδομήκοντα ἔτεσιν οὐδὲν ἐξήμαρτεν εἰς ὑμᾶς, ἐν ὀκτὼ δ' ἡμέραις.* Quoquo te interpretando vertis arguta est oppositio; quae tamen etiam minus placet si per interrogationem accipias; sic enim haec inepta sententia exsisteret: credine potest quemquam per septuaginta annos non deliquisse, sed octo diebus? Nimirum ut novi regiminis aliquamdiu socius sit potest in maximum natu cadere; et si

quis semel deliquit, uno certe aliquo tempore factum sit necesse est. Affirmative dicta haec continent confessionem erroris, sed simul deprecationem. Haec qui scripsit Lysiae consuetudinem dicendi imitatus est, sed simul in peius mutavit, cf. 31. 1: *οὐχ ἕν τι μόνον ἀλλὰ πολλὰ τολμηρός ἐστιν*. 24. 13: *ὑμᾶς πειρᾶται πείθειν τοσούτους ὄντας εἷς ὤν*, cf. ib. 22 et 9. Eiusdem farinae est § 16: *καὶ εἰ αὐτοὶ τοσοῦτοι ὄντες κ. τ. ἑ.*

Sed haec opinor satis speciminis loco.

In definienda causa non minus magnae oboriuntur difficultates. *Ter* causam dixit Polystratus.

Prima causa est Oropia. Prodita est Oropus Ol. XCII. 1 ad finem vergente (411 a. C.) paulo ante populi imperium sublatum. Quum Thucydides illam proditionem factam esse dicat *τελευτῶντος ἤδη τοῦ χειμῶνος* (VIII. 60), populare autem imperium sublatum sit veris initio, mense Elaphebolione (cf. Clarisse, Ep. belli Pelop. p. 124, Fritzsche ad Arist. Thesm. p. 308), Polystratus, quamvis statim post Oropi proditionem redierit, tamen sub quadringentis accusatus est. Damnatusne tum fuerit nec ne non constat. Cf. § 6 et 22.

Altera accusatio pertinebat ad partem quam Polystratus habuerat in imperio quadringentorum. Ipse in quadringentis fuerat, sed lectus erat a tribulibus. Plane id pugnat cum iis quae alibi traduntur (§ 2, Thuc. VIII. 6. 7). Itaque Hermannus (Griech. Staatsalterth. § 166. 12) eum inter *ξυγγραφέας* a populo lectos, quorum consilio quadringenti instituti sint, fuisse putat; cf. Thuc. VIII. 67. Nobis contra videtur. Peregre enim fuisse Polystratum quo tempore respublica in quadringentorum potestatem perveniret, secundum ea, quae modo diximus, admodum probabile est; utique eo tempore quo infamia Oropia premebatur, non *ξυγγραφεύς* fuisset electus. Ratione habita eorum quae refert Thucydides c. 93 res potius sic se habuisse videtur, ut fracto iam quadringentorum imperio collega ab his adscitus, simul a tribulibus *καταλογεύς* sit creatus (§ 14). Etenim quum discidio inter quadringentos orto Theramenes castellum in Eetionea demo-

litus esset, iamque appareret aliquid concedendum esse democratiae, promiserunt quadringenti se quinque millia civium, vanum antea nomen (cf. locos apud Grote, VIII 37. n. 2), iam re vera designaturos esse. Et urgente necessitate credi possunt concessisse ut electores (*καταλογεῖς*) quinque millium *κατὰ φυλάς* designarentur. Polystratus igitur tum a tribulibus *καταλογεύς* creari, dein quadringentis adscribi potuit. Qui factum sit, ut solus ille omnes designarit, non possum dicere, neque operae pretium est coniicere. Octo diebus *καταλογεύς* (13) et senator (14) fuit; tum antequam quinque millia re vera instituta sunt, subito bellum Euboicum minatur, de quo Thuc. c. 94. Igitur expeditionis Eretriam propere missae socius *ἐδόκει ἐκεῖ τὴν ψυχὴν οὐ πονηρὸς εἶναι ἐν ταῖς ναυμαχίαις* (de quibus cf. Thuc. 95). Quum vulneratus domum rediret, iam res conversae erant. Haec si probabiliter disputata videntur, inter res, quas narrat Thucydides c. 93 sub fin. et c. 94 init., paulo amplius octo dies intersunt. Nam etiamsi quae orator § 14 de *ἐπιβολαῖς* et *ζημίαις* refert pro praesenti tempore ficta sint, tamen ad creationem tribulium aliquantum temporis requirebatur. Non dubio maiorem esse coniecturam propositam, satis apparet. Tantum periclitari volui, possetne res sic facta cogitari ut fides sua oratori constaret; id autem ne sic quidem plane succedit; negligentiae enim non liberatur confundens creationem quadringentorum et *καταλογέων* § 1. Ceterum errat Grote statuens octo diebus *ante imperium* quadringentis abrogatum Polystratum socium collegio fuisse adscriptum; dicendum erat: ante expeditionem Eretriensem, quae procul dubio etiam aliquot absumsit dies (Vol. VIII. p. 68, sq.).

His praemonitis facilius erit de altera hac accusatione statuere. De ea agitur § 14: *καὶ οὗτος μὲν οὔτ' εἰπὼν γνώμην οὐδεμίαν, οὔτε πλέον ὀκτὼ ἡμερῶν εἰσελθὼν εἰς τὸ βουλευτήριον ὦφλε χρήματα τοσαῦτα*, et § 18: *καὶ μὴ θαυμάζεθ' ὅτι τοσαῦτ' ὦφλε χρήματα· ἔρημον* (olim vulgo *ἐρήμην*) *γὰρ αὐτὸν λαβόντες, αὐτοῦ τε καὶ ἡμῶν κατηγοροῦντες εἷλον.*

Ad hoc quoque iudicium pertinet § 11: *ἔν γε ταῖς πρότερον κατηγορίαις τά τε ἄλλα ψευδῆ κατηγόρησαν τοῦ πατρός, καὶ συγγενῆ Φρύνιχον αὐτοῦ εἶναι ἔφασαν.* Contra quae leguntur § 22 ad primam accusationem pertinere possunt. Huic iudicio quomodo filii, qui iis temporibus ne aderant quidem (cf. § 4), implicari potuerint (§ 18), nemo facile dixerit. Aut verba corrupta sunt (*ἔρημον γὰρ αὐτὸν λαβόντες φίλων τε καὶ παίδων, κατηγοροῦντες εἷλον* vel sim. quid) aut plura etiam ab accusatoribus pericula Polystrato subeunda fuerunt, aut impostorem haec arguunt halucinantem.

Denique ad praesentem sive tertiam causam, quam pro patre Polystrato orat filius, qui ex tribus aetate medius est, pertinent § 2: *κατηγοροῦσι δ' αὐτοῦ ὡς οὐκ εὔνους ἦν τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ.* § 5: *καὶ ὡς πολλὰς ἀρχὰς ἦρξεν (ἐπὶ τῶν τετρακοσίων).* § 7: *γνώμην οὐδεμίαν εἶπε περὶ τοῦ ὑμετέρου πλήθους (ἐν τοῖς τετρακοσίοις).* § 8: *ἐκείνοις οὐκ ἀπηχθάνετο.* Ad *καταλογέως* munus pertinent verba quae leguntur § 13: *καίτοι οὐχ οἳ ἂν πλείους πολίτας ποιῶσιν, οὗτοι καταλύουσι τὸν δῆμον, ἀλλ' οἳ ἂν ἐκ πλειόνων ἐλάττους.* Scilicet maiorem quam debebat numerum civium creaverat Polystratus. De filiis haec leguntur § 19: *ἡμῖν δ' οὐ δώσετε ἡμᾶς αὐτοὺς ἐπιτίμους ὑμῖν γενέσθαι.* § 32: *περὶ ἡμῶν γάρ ἐστι ψῆφος ὑμῖν καὶ οὐ περὶ χρημάτων*, i. e. quum nihil fere habeamus, etiamsi bona nostra publicaveritis, nullum lucrum percipietis. § 35: *μὴ ἡμᾶς ἀντὶ μὲν ἐπιτίμων ἀτίμους ποιήσητε, ἀντὶ δὲ πολιτῶν ἀπόλιδας.* Ergo apparet patri *ἀτιμίαν* imminuisse maximam cum bonorum publicatione, cuius etiam participes essent filii et quae facile exsilio posset comparari. Et ex verbis *καταλύουσι τὸν δῆμον* § 13 efficias *γραφὴν* fuisse *δήμου καταλύσεως.* Quomodo autem tertium hoc iudicium fuerit a superiore diversum minime apparet. Atque haec nunc cum pulvisculo eruta sunt et ordinata; in oratione ipsa omnia susque deque permixta et turbata sunt. Magnus mihi erit Apollo, qui statum causae sic efficiat, ut dubitatio iusta non relinquatur. Scilicet ut difficultates furca expellas tamen usque recurrent

vel ex abrupto dicendi genere, vel ex confusione superiorum causarum, vel denique ex perplexa et obscura enarratione rei, de qua nunc agitur. Equidem tantum absum ut Lysiae hanc existimem orationem, ut ne Lysiae quidem aequali oratori ausim adscribere, quod continet vitiatam rerum gestarum memoriam et quaedam quae vix graeca dici possint (supra memoratis addo *ἐκ παιδείας* pro *ἐκ παιδός* vel *παίδων* § 11), denique orationem dissolutam et plane turbatum ordinem, de quo postremo tam graviter et vere Bakius egit, ut verbum addere supervacaneum sit. Ad componendam hanc orationem auctor habuit sane adiumenta, quibus nos caremus; quare quaedam continet utilia ad res gestas illius temporis cognoscendas, sed fontem historiae hunc esse minime limpidum et caute omnino adhibendum satis opinor me demonstravisse. Restat, ut ad confirmanda dicta breviter de singulis quibusdam agam locis.

§ 3. *πότερον ὡς ἡλικίαν εἶχε λέγων τι διαπράττεσθαι παρ' ὑμῖν, ἢ τῷ σώματι πιστεύων, ἵνα ὑβρίζοι εἰς τῶν ὑμετέρων τινά*; (scil. *ἐπεθύμησεν ἂν ὀλιγαρχίας*). Sententia haec fuisse videtur *πότερον ἐθέλων τι νεανιεύεσθαι ἢ ὑβρίζειν*; In *λέγων* latere videtur *ἐθέλων* vel *ἐλπίζων*. *Ἡλικίαν* in *ἡλικίας* mutandum.

§ 9. *ὥσθ' οἱ πολλοὶ πάντα ἐγίνωσκον αὐτῶν*. Fort. *συνεγίγνωσκον αὐτοῖς*. *Συγγιγνώσκειν τινί* *assentiri alicui* aliquoties habet Thucydides et Isaeus 8. 38: *τῶν φίλων μοι ταῦτα συγγιγνωσκόντων*.

§ 12. *ὅτ' ἐξέτινε τῷ δημοσίῳ*. Nimirum *Φρύνιχος τὰ ὀφειλόμενα* aut *τὴν ζημίαν*. Mire *ἐκτίνειν* absolute ponitur; quamquam in hoc oratore fortasse ferendum. Cf. § 6: *οἱ δ' οὐχ ὑπέμειναν*.

§ 13. *ἵνα τὸν μὲν βουλόμενον γράφοι, εἰ δέ τῳ μὴ οἷον τ' εἴη, χαρίζοιτο*. Delegerat maiorem numerum, ut qui nollent collegio adscribi recusare possent, iisque tum exemtis e catalogo, numerus tamen sufficiens superesset; ita multis gratum facere poterat. Divinatur haec sententia ex verbis obscuris *εἰ οἷόν τ' εἴη* sc. *τῶν πεντακισχιλίων εἶναι*. Exspectes

εἰ δέ τῳ μὴ βουλομένῳ εἴη, ἐξαλείφοι. — Difficultatem, quam movit Dobreus de δημόταις, quibus ut gratificaretur Polystratus, non opus fuisset tanto numero, quod δῆμος tam exigua pars sit civitatis, mihi quidem non plane removit Bakius, monens κατὰ δήμους catalogum confectum fuisse. Nam verba μηδεὶς τῶν δημοτῶν mihi necessario de uno demo Polystrati intellegenda videntur. Si omnes voluisset, quidni τῶν πολιτῶν dixisset?

§ 14. Vi tantum adigi potuisse dicit Polystratum, ut τοὺς πεντακιςχιλίους eligeret. At factum hoc est paulo ante quadringentos sublatos, quibus hoc necessitate expressum est, ut populo gratificarentur. Si igitur vi et minis coactus fuisset Polystratus ut catalogum conficeret, prudentis fuisset patroni id tacere. Sed res per se etiam parum probabilis, et potius excogitata videtur, ut dissensum quendam inter P. et quadringentos fingeret. Evanescit omnis difficultas adscita coniectura Bakii: οὗτος δ' οὔτ' ὀμόσαι ἤθελεν, οὔτ' εἰςελθεῖν pro οὔτε καταλέγειν, quam in alio quidem scriptore utraque manu amplecterer. Nam etiam imperfecta ἤθελεν, ἠνάγκαζον, quibus redit ad superiora tempora (*voluerat*, *coegerant*) in vulgata molesta sunt.

Ib. τῶν δ' εἰπόντων ὑμῖν τἀναντία καὶ διὰ τέλους ἐν τῷ βουλευτηρίῳ ὄντων (pro γενομένων) πολλοὶ ἀποπεφεύγασι —. οἱ μὲν γὰρ δοκοῦντες ἀδικεῖν ἐξῃτημένοι εἰσὶν ὑπὸ τῶν ὑμῖν προθύμων ἐν τοῖς πράγμασι γενομένων, οἱ δ' ἠδικηκότες ἐκπριάμενοι τοὺς κατηγόρους οὐδ' ἔδοξαν ἀδικεῖν. Ut oppositio aliqua sit οἱ δοκοῦντες ἀδικ. erunt qui iniuria videbantur deliquisse, οἱ ἠδικ. qui re vera deliquerant. Sed omnes qui enumerantur (οἱ εἰπόντες ὑμῖν τἀναντία καὶ διὰ τέλους ἐν τῷ βουλευτηρίῳ γενόμενοι) aliquid peccaverant. Itaque ἠδικηκότες male additum esse Hirschigio assentior (Misc. 1850, p. 138). Sententia esse debebat: ii, qui iudicibus poena digni videbantur amicis deprecantibus erepti periculo sunt, alii corruptis accusatoribus causam non dixerunt s. ne iudicibus quidem videbantur deliquisse.

§ 17. „Accusatores, inquit, tum populo non opitulabantur, nunc quum populus sibi optime consulit, auxiliantur „vobis." Hoc nihil ad praesentem causam pertinet; Polystratus enim sub quadringentis propter crimen Oropium fuerat arcessitus; nec sane exspectari poterat, sub quadringentis aliam in eum actionem institui, qui postremus omnium eorum collegio esset adscriptus. Prodit hoc rhetorem locis communibus aut alienis flosculis orationem ornantem.

§ 18. *τῷ μὲν γὰρ οὐδ' εἴ τις εἶχε μαρτυρίαν, εἶχε μαρτυρεῖν διὰ τὸ δέος τὸ τῶν κατηγόρων.* Ita Palat. Hae sordes, in recentioribus editionibus nonnullis abstersae, tersum tamen oratorem non facient.

§ 19. *τούτους μὲν ἀφεῖτ' ἀνδρὶ ἐξαιτουμένῳ.* Frigidum illud *ἀνδρί* pro *τοῖς οἰκείοις* aut *φίλοις ἐξαιτουμένοις* vel *ἐξαιτουμένους* omisso *ἀνδρί.*

*ἡμῖν δ' αὐτοῖς τε προθύμοις γεγενημένοις περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον, καὶ τοῦ πατρὸς οὐδὲν ὑμᾶς ἠδικηκότος.* Delendum puto *τοῦ*: „nobis, qui ipsi vobis studebamus et patre nati „sumus numquam vobis adversato." In fine sectionis *ἡμᾶς αὐτούς* nihili est.

§ 24. *ἐλῃζόμην, — ὥστε τῇ θεῷ τε τὰς δεκάτας ἐξαιρεθῆναι πλέον ἢ τριάκοντα μνᾶς καὶ τοῖς στρατιώταις εἰς σωτηρίαν.* Post *στρατιώ*TAIC excidisse videtur TA IC', *τὰ ἴσα.* Cf. Dobreus.

§ 26. Offendunt in hac sectione *ὅρκιον ἔχοντος* (?) *καὶ ἑτοίμου ὄντος ὁρκοῦν*, porro *συλλογήν* pro *σύλλογον*, denique inficetum illud *καὶ λόγοι οὐκ ὀλίγοι ἦσαν*, quasi de vetularum circulo quodam agatur.

§ 27. *Σκέψασθε δὴ καὶ τοῦ πατρὸς τὴν ἐπιστολήν, ἣν ἔδωκεν ἀποδοῦναι ἐμοί, πότερα τῷ ὑμετέρῳ πλήθει ἀγαθὰ ἦν ἢ οὔ.* Sic Palat.; leg. *ἐνῆν.* Ceterum locus verbosus nimis et argumentum admodum leve est, *συκίνη* vero *ἐπικουρία*! — *'Αγαθός* est in deteriore Laurent.

§ 28. Documentum daturus virtutis, qua frater natu minimus excelluisset, *καταδρομῆς γενομένης*, inquit, *τῶν φυγάδων — ἐξελάσας ἐκ τῶν ἄλλων ἱππέων ἕνα ἀπέκτεινεν.* Hoc,

puto, vult orator verbis *οἳ οὐ μόνον* — *ὑμᾶς* illos exsules non tantum in ipsa urbe olim plurima mala civibus intulisse, sed postea quoque quum excessissent ex munimento, quod occupaverant, agros vastavisse. Obscura res est culpa auctoris. Sed in *ἐκ τῶν ἄλλων ἱππέων* etiam librarii peccarunt. Iungenda haec forent cum *ἐξελάσας*; sed ita *ἕνα* admodum frigeret. Fortasse post *ἱππέων* excidit *τῶν υ'* i. e. *τῶν τετρακοσίων*, iungendum cum *ἕνα*. Referenda haec essent ad ea quae narrat Thucydides VIII. 98. Deceleam, *τεῖχος* hîc appellatur, concesserant quadringenti, indeque excursiones faciebant; Polystratus Athenas reversus erat, filius ex Boeotia redierat.

Male haec ad expeditionem Thrasybuli refert Schneiderus ad Xen. Hell. II. 4. 27. Quam maxime suae ipse causae obfuisset si fratrem sub triginta viris equitem fuisse diceret et ex Piraeensibus aliquem interfecisse. Praeterea nihil est in oratione quod ad triginta virorum res pertineat.

Proxima sectione *ἴσασιν* fortasse ex *ἴστε* exstitit; quamquam sic quoque aliquid offendit; nam illa *ὥστε νομίζειν* possunt salva sententia abesse.

§ 31. Requiro *χρὴ δ' ὑμᾶς καὶ τῶν ἄλλων ἕνεκα τοιούτους εἶναι, γιγνώσκοντας ὅτι [ἐὰν τις πρόθυμος εἰς ὑμᾶς ᾖ] οὐ μόνον δι' ἡμᾶς ὠφελήσεσθε· ἡμῶν μὲν γὰρ καὶ πρὶν δεηθῆναι πεπείρασθε, οἷοί ἐσμεν εἰς ὑμᾶς· τοὺς δ' ἄλλους προθυμοτέρους ποιήσετε, κατ' ἀξίαν χαριζόμενοι, ὅταν τις ὑμᾶς εὖ ποιῇ*. Vulgo *ἡμᾶς ὠφελήσετε*. Sententiam repetit fere § 33 sub fin. — Cum iis quae initio sectionis leguntur cf. 16. 17, 25. 13.

§ 32. *καὶ μηδαμῶς τοῖς λέγουσι βεβαιώσητε λόγον τὸν πάντων πονηρότατον· λέγεται γὰρ τοὺς κακῶς πεπονθότας μεμνῆσθαι μᾶλλον ἢ τοὺς εὖ*. Haec sententia non est *πονηροτάτη*; est enim vera plerumque. Sed *Athenienses* ita ingratos esse dicere *πονηρόν*. Igitur *ὑμᾶς κακῶς π.* aut *τοὺς Ἀθηναίους κ. π.* fortasse legendum; tum alterum *τούς* delendum.

§ 33. Satis verbosa est sententia postrema *ὥστ' αὐτῶν τούτων ἕνεκα* (quod bona amisimus) *πρόθυμοί ἐσμεν εἰς ὑμᾶς*,

εἰδότες ὅτι — πρόθυμοι ὄντες εἰς ὑμᾶς ἀξιούμεθα εὑρίσκεσθαι χάριν. Debebat saltem εὑρησόμεθα χάριν, quod ipsius oratoris σφάλμα esse vix est quod moneam.

35. Πεπόνθαμεν δὲ τοὐναντίον τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις. οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι τοὺς παῖδας παραστησάμενοι ἐξαιτοῦνται σφᾶς, ἡμεῖς δὲ τὸν πατέρα τουτονὶ καὶ ἡμᾶς ἐξαιτούμεθα. Omittendum videtur καί ante ἡμᾶς, ut τὸν πατέρα τουτονί pendeat ab omisso παραστησάμενοι. — Denique sub finem sectionis egregie Dobreus παθόντες (Cobetus πεπονθότες) ἡμῶν τ' ἀνάξια καὶ τῆς πόλεως.

## XXI. ΑΠΟΛΟΓΙΑ ΔΩΡΟΔΟΚΙΑΣ ΑΠΑΡΑΣΗΜΟΣ.

Quale fuerit institutum τῶν ζητητῶν sive Quaestorum fiscalium, quorum in hac oratione § 16 mentio est, optime discimus ex Demosthene, in Timocr. § 11 sqq. et Bekkeri Anecdd. I. p. 261 i. v. Ζητηταί· ἀρχή τις Ἀθήνησίν ἐστι, κατὰ καιροὺς καθισταμένη, πρὸς ἣν ἐμηνύοντο οἱ ὀφείλοντες τῇ πόλει χρήματα καὶ μὴ ἀποδιδόντες (ἀποδεδωκότες Photius in v. Ζητηταί in reliquis consentiens; cf. Harp. in Ζητητής). Apud Demosthenem Quaestores crimen denunciatum sibi ad senatum deferunt, a quo facto probuleumate res ad populum reiicitur; tamen mirandum non est si in causa Lysiaca idem factum non sit. Neque enim magistratum extra ordinem institutum semper eandem formam iudicii secutum esse probabile est, et accusationes inter se satis diversae sunt, quum apud Demosthenem per praeiudicium quoddam (§ 12: ἀπεχειροτονήσαθ' ὑμεῖς μὴ φίλια εἶναι) dubitatio praecisa esset et peculatum factum esse constaret, apud Lysiam reus plane pecuniam aerario substractam fuisse neget. Causa agitur in solito iudicio (ἄνδρες δικασταί § 1) non in ἐκκλησίᾳ. Accusant iidem qui reum Quaestoribus denunciaverunt (§ 20); horum opera non ultra processisse videtur quam ut rem summatim cognitam ad iudicium deferrent. Neque enim ius dicere neque accusare ipsi solebant, ut ex Demosthene (apud

quem l. l. Euctemon accusator est) apparet. Meierus et Schoemannus Att. Proc. p. 351 recte coniicere videntur *ἀπογραφήν* in oratorem institutam fuisse, quare melius haec oratio *ἀπολογία πρὸς ἀπογραφήν* diceretur. Atque sic optime una in causa duo crimina, quorum mentio fit, peculatus et *δωροδοκίας* commemorari potuerunt, ut ostenderetur rei bona, quae partim ex donis, ab hostibus acceptis, partim ex direptione aerarii fluxissent, tota civitati deberi. Cf. § 16: *ἡγοῦμαι πολὺ ἂν δικαιότερον ὑμᾶς ὑπὸ τῶν ζητητῶν ἀπογραφῆναι τὰ ἐμὰ ἔχειν, ἢ ἐμὲ νυνὶ κινδυνεύειν ὡς τοῦ δημοσίου χρήματ' ἔχοντα* quo loco *ἀπογραφή* omnino non memorata fuisset, nisi revera instituta (contra Bak. l. l. p. 253, sq.) — § 21: *ἐγὼ δ' ὑμῶν δέομαι — μὴ καταγνῶναι δωροδοκίαν ἐμοῦ.* — § 22: *μαινοίμην γὰρ ἂν εἰ — παρὰ τῶν ἄλλων δωροδοκοίην.*

Primaria pars orationis, qua accusatorum crimina debilitaverat reus, hodie desideratur; nihil enim continet nunc quam meritorum in rem publicam praedicationem cum poenae deprecatione; fragmentum est, epilogus maioris orationis. Nam quominus credam esse *ὕστερον λόγον* (Meier et Schöm. p. 711) impedit, quod reus merita in rempublicam, necessariam fere partem cuiusque defensionis commemorat, quam cur alteri orationi reservasset, nulla probabilis excogitari causa potest.

Mutila igitur oratio est, sed si ulla ex iis quae Lysiae nomen gerunt, haec genuina. De rebus sub finem belli Peloponnesiaci et ratione liturgiarum quae continet optime conveniunt cum iis, quae aliunde nota sunt. Veluti quod de Archestrato est § 8, qui Mytilenae cecidisse dicitur, tale est, ut fere suppleat quae de ducibus Atheniensium in pugnis ad Mytilenen et ad Arginusas interfectis a Xenophonte et aliis produntur.

Secundum Xenophontem enim a. 407, post pugnam ab Antiocho Alcibiadis legato infeliciter gestam creantur strategi Conon, Diomedon, Leon, Pericles, Erasinides, Aristocrates,

*Archestratus*, Protomachus, Thrasylus, Aristogenes (Hell. I. 5. 16). Ex his post proelium navale ad Mytilenen gestum Leon cum Conone et Erasinide in portum Mytilenaeum confugiunt, ubi a Callicratide obsidentur (I. 6. 16). Reliquos septem probabile est expeditioni propere domo missae ad liberandum Cononem praefuisse. Sed Hell. I. 6. 29 duces ad Arginusas memorantur Aristocrates, Diomedon, Pericles, *Erasinides*, Protomachus, Thrasylus, *Lysias*, Aristogenes, ubi omissum vides Archestratum, praesentem Erasinidem, qui obsessus fuerat Mytilenae. Verum si comparaveris Lysiae verba § 8, haec difficultas evanescet. Ἐπειδή, inquit, *τοὺς μετὰ Θρασύλου δέκα εἵλεσθε, οὗτοι πάντες ἐβούλοντ᾽ ἐπὶ τῆς ἐμῆς νεὼς πλεῖν, ἀνέβη μέντοι Ἀρχέστρατος ὁ Φρεάρριος· ἀποθανόντος δὲ τούτου ἐν Μυτιλήνῃ Ἐρασινίδης μετ᾽ ἐμοῦ συνέπλει.* Emisit secundum Xenophontem (I. 6. 19) duas naves Conon, quarum altera feliciter evasit, et nuncium de obsidione Athenas attulit. Quod si copulaveris cum Lysiae verbis, apparebit Archestratum nave oratoris vectum in pugna Mytilenaea cecidisse, postea Erasinidem hanc, utpote celerrimam, conscendisse eaque feliciter evasisse. Ita Xenophontis auctoritas egregie defenditur, neque erit cur I. 6. 16: *καὶ καταφεύγει (ὁ Κόνων) εἰς Μυτιλήνην τῆς Λέσβου καὶ σὺν αὐτῷ τῶν δέκα στρατηγῶν Λέων καὶ Ἐρασινίδης* verba tria postrema cum multis editoribus et Nabero (Mnemos. I, p. 230) dubiae auctoritatis putemus. Nam quod Leontis nomen errore irrepsisse putant et hoc loco et I. 5. 16 pro *Lysiae* vel *Lysaniae* parum probabilitatis habet; parum enim convenit inter ΛϵONTA et ΛΥCIAN; et idem vitium forte utroque loco a librariis commissum esse nisi statuere velles, ipsius scriptoris neglegentia foret incusanda. Sed nihil necesse. Leon dux creatus est (I. 5. 16), et obsessus cum Conone (I. 6. 16); Lysias in eius locum substitutus proelium committit ad Arginusas (I. 6. 29), is causam dicit Athenis (I. 7. 1) et damnatus interficitur. Igitur Leon in obsidione caesus, in eiusque locum Lysias substitutus videtur, quod a Xeno-

phonte non diserte memoratum esse nihilo magis mirandum est quam quod tacet de Archestrati caede. (Suffecti etiam post pugnam ad Aegos Potamos novi duces; cf. supra ad 18. 4). Ita pellitur difficultas, nisi vero Diodoro potius quam Xenophonti sua stare auctoritas debet; is enim XIII. 74 omisso Leonte inter duces creatos recenset Lysiam (MS. vitio *Λυσανίαν*); sed hic, quod mirum non est in eo qui c. 101 Diomedontem omittit, quem tamen c. 102 *ἕνα τῶν στρατηγῶν* dicit, et quem sciret damnatum una cum reliquis, hunc quoque simul creatum temere credidit. In numero et nominibus damnatorum assentitur Xenophonti Philochorus in scholiis ad Arist. Ran. 1196. Ceterum Xenophon Mem. I. 1. 18 sibi ipse obloquitur, nisi librarii nobis imponant, referens *ἐννέα στρατηγούς* damnatos esse; si summatim numerum sollemnem ponere voluisset, decem erant memorandi (ut Plato fecit Apol. 32. B); si diligenter referre, octo.

De liturgiis ab oratore praestitis egit Boeckhius in Oecon. Vol. I. p. 604, quibus quid addam non habeo; nec de lectione constituenda quidquam dicam, nisi Pluygersi coniecturas (Mnem.XI. p. 83, sqq.) § 3 *δὶς εἰςφοράν* et § 25 *περιποιῆσαι* pro *περὶ πολλοῦ ποιήσασθαι* probandas videri; § 5 ex lectione recepta *χωρὶς δ' ἀρχιθεωρίας καὶ ἀῤῥηφορίας καὶ ἄλλα τοιαῦτα* (sc. *νενίκηκα*) consequi, etiam de architheoria et arrhephoria certamen fuisse, quod parum probabile videatur (num *χωρὶς δ' εἰς* om. *εἰς* ante *ἄ*?); § 9—11 duobus locis, ubi N praecedat, scriptum esse *Ναυσιμάχου*, tertio ubi eadem errandi opportunitas non esset, *Λυσιμάχου* legi in libris MSS., unde posterius aliquanto probabilius sit; § 17 redeundum videri ad Emperii coniecturam *ἐξαιτήσαιντο* (pro *ἐξητήσαντο*), quoniam agatur de iudicio nondum finito, possentque etiamtum pro reo intercedere amici; § 18 legendum videri *καὶ ὑμᾶς δ' εἰδέναι*, praesertim quum haec extra constructionem posita sint (cf. 19. 5); § 20 fortasse addendum esse *καί* ante *οὕτω διακείμενος*.

XXII. ΚΑΤΑ ΤΩΝ ΣΙΤΟΠΩΛΩΝ.

§ 1. Multi, inquit, mirati sunt, quod ego *σιτοπώλας* in senatu accusarem (*ὅτι ἐγὼ τῶν σιτοπωλῶν ἐν τῇ βουλῇ κατηγόρουν*). Non putabant enim oratorem sycophantae velle similem videri; et tamen criminando apud senatum efficiens ut *σιτοπωλῶν* causa tanquam noxiorum ad iudicium deferretur talis videri poterat. Non igitur sollicito *ὅτι* pro quo Sauppius *ὅτε*. — Dicebant amici (sic pergit orator) *ὅτι ὑμεῖς* (iudices s. populus), *εἰ ὡς μάλιστ' αὐτοὺς* (*τοὺς σιτ.*) *ἀδικεῖν ἡγεῖσθε, οὐδὲν ἧττον καὶ τοὺς περὶ τούτων ποιουμένους λόγους συκοφαντεῖν νομίζετε*. Praesens *νομίζετε* de more et consuetudine dicitur. Dardanarii, inquilini et locupletes et praeterea invisi, quod frumentum subinde vexabant, tam saepe delationibus sycophantarum erant expositi, ut iudices, etiamsi vel maxime istos noxios putarent, tamen accusatores semper lucri causa eorum nomina deferre putarent. Perspicuitati consuletur si cum Hirschigio (Misc. Phil. et Paedog. 1860 p. 138) *τούς* ante *λόγους* inserueris; sed eadem de causa malim *εἰ καὶ ὡς μάλιστ'*. Contra *καί* ante *τούς* videtur omittendum. Quod legitur § 2. *ἀποδιδόναι εἰς τὴν βουλὴν περί τινος*, *referre ad senatum de aliqua re* est etiam apud Isocratem 18. 6: *ἐκεῖνοι δ' εἰς τὴν βουλὴν περὶ αὐτῶν ἀπέδοσαν*.

Habent ea quae ab initio usque ad sect. 4 (*ψηφίσησθε*) leguntur nescio quid sophistici artificii. Effecerat accusator, qui senator erat, primum ut frumentariorum causa a prytanibus ad senatum deferretur, tum ne senatus eos damnaret intercesserat, denique cum quaereretur num esset cur ad iudicium populi s. heliastas causa reiiceretur, accusando homines effecerat ut ita decerneretur; nunc tandem ipse apud populum surgit accusator. Iam ne invisam quadruplatoris personam gerat, summopere pugnat; et videtur adhuc res bene ei cessisse, quum nemo inter interpretes hominem notaverit; mihi tamen videtur re vera sycophanta non melior, qui quidem ab initio illud studuerit defendendo modo, modo

accusando, ut sibi accusatio apud populum contingeret. Sed ut speciem a se removeat, fingit se rumoribus hominum, nimiae benevolentiae erga frumentarios ipsum accusantium, paene coactum fuisse, ut accusaret; ut igitur se ipsum *defenderet*, fingit se in senatu *accusavisse* (ἔργῳ ἀπελογησάμην § 3). Et ut omnem a se suspicionem removeat, et omnem cupiditatis in accusando speciem evitet, § 4 sub fin. non se studere dicit ut viri condemnentur, sed ut fiat quodcunque Atheniensibus placeat. Mihi nisi ita fere se res habuerit, sine causa obscurus et intricatus videtur orator; sectione quarta paene ridiculus. Quis enim orator hoc se effecturum ceteroquin gloriaretur, non se finem facturum dicendi antequam iudices — aliquid pro arbitrio statuissent? Quis non potius quieturum se negaret antequam ad *suam* sententiam iudices pertraxisset? Et tamen: αἰσχρὸν δ' ἡγοῦμαι πρότερον παύσασθαι, πρὶν ἂν ὑμεῖς περὶ αὐτῶν ὅ τι ἂν βούλησθε ψηφίσησθε. Ceterum sunt apud Isocratem genere dicendi satis similia. — Ἠρξάμην μὲν οὖν τούτων ἕνεκα: propter illos hominum rumores (§ 3) accusationem sic institui, δεδιὼς τὰς αἰτίας, eorum criminationes metuens. Dobreus qui haec recte emendavit, iniuria mavult δεδ. τ. αἰτ. deleri.

§ 5. Ἄλλο τι οὖν ἄξιοῖς ἢ ἀποθανεῖν; — Ἔγωγε. Hoc (si modo Graecum) est: alia poena dignus sum quam capitali, aliud volo quam mortem. Sententia requiritur contraria. Leg. ἄλλο τι οὖν ἢ ἀξιοῖς ἀποθανεῖν; aut plane omisso ἤ: ἄλλο τι οὖν ἀξιοῖς ἀποθανεῖν; quod eodem redit, ut in vulgus notum (= *nonne?*). Plat. Gorg. 495. C. Ἄλλο τι οὖν ὡς ἑτέραν τὴν ἀνδρείαν τῆς ἐπιστήμης δύο ταῦτα ἔλεγες; Respondetur: σφόδρα γε.

§ 7. Χρῆν μὲν τοίνυν ἱκανὴν εἶναι ταύτην τὴν κατηγορίαν. Dobreus delendum censebat τήν, quod non necessarium puto. Sane, si urgendum est discrimen, aptius videatur ταύτην omisso articulo. Sententia verborum ταύτην εἶναι ἱκανὴν κατηγορίαν est: haec, quae dixi, sufficere ad accusandum; opponuntur alia, quae *melius* possent pro accusatione haberi;

contra in verbis *ταύτην τὴν κατ. ἱκανὴν εἶναι* cogitatur de aliis accusationibus, quae *cum iam dicta* sufficerent. Illa lectione plura non exspectanda esse, quae *plenam* faciant accusationem, hac non *alia et nova* crimina significatur. Verumtamen quum *ταύτην τὴν κατηγορίαν* etiam significare possit: haec accusatio, *qualis* aut *quo modo* a me profertur, articulus ferri potest. Ceterum nova crimina non fere afferuntur.

§ 8. *Ἄνυτος δ' ἔλεγεν ὡς τοῦ προτέρου χειμῶνος, ἐπειδὴ τίμιος ἦν ὁ σῖτος, τούτων (τῶν σιτοπωλῶν) ὑπερβαλλόντων ἀλλήλους καὶ πρὸς σφᾶς αὐτοὺς μαχομένων συμβουλεύσειεν αὐτοῖς παύσασθαι φιλονεικοῦσιν.* Pauci *ἔμποροι* advehebant frumentum; itaque sitopolae certatim ab his emebant, quantum lege concedebatur; ea concertatione pretium augebatur. Tum igitur Anytus (unus *τῶν σιτοφυλάκων*) suaserat iis ut a concertatione desisterent *παύσασθαι φιλονεικοῦσιν*. Quomodo effecerit, ut illam licitationem omitterent, non additur; sed fieri potest, ut sitopolae societate inita communi consilio pretium constituerint et emerint. Inde tamen non factum esse videtur, ut cives satis sublevarentur, quum partem in horreis deponerent sitopolae (*κατέθεντο*), non venderent plura quam cum lucro facere possent. Haec si recte ex verbis *ὡς τοίνυν οὐ συμπριαμένους καταθέσθαι ἐκέλευεν αὐτούς* effeci, intellegitur sitopolas legem, qua iubebantur *ὀβολῷ μόνον πωλεῖν τιμιώτερον* elusisse (cf. § 12). Quomodo autem ad Anyti praescriptum provocare potuerint nunc facile intellegitur; suaserat ille *συμπρίασθαι*, ut in commune emerent; nunc illi licere sibi dicunt eius auctoritate coemere et pretium emtionis constituere, callide vocabuli ambiguitatem in suum commodum vertentes.

§ 13. *ἐφ' οἷς δὲ θάνατός [ἐστιν] ἡ ζημία καὶ λαθεῖν [αὐτοῖς] συνέφερε, ταῦτ' ἐπ' εὐνοίᾳ φασὶ τῇ ὑμετέρᾳ παρανομῆσαι.* Notata verba malim abesse. — *Ἀναρπάζουσι* sectione 15, de quo verbo satis multa Reiskius, simpliciter significare videtur: (debitum) nobis praeripiunt, ab ore rapiunt (cf. Liv. II. 35).

§ 16. Non sollicitandum praesens *ἀποκληροῦτε*, quod Mark-

lando et Scheibio in ἀπεκληροῦτε mutare placuit; agitur enim de consuetudine, de eo quod quotannis fiebat.

§ 17. εἰ γὰρ ἀπογνώσεσθ' ὁμολογούντων αὐτῶν ἐπὶ τοὺς ἐμπόρους συνίστασθαι et 21 καὶ τοὺς ἐμπόρους ἐφ' οὓς οὗτοι συνέστησαν. Dobreus: „Quomodo insidiabantur naucleris?" Facile est ad hanc quaestionem respondere; societatem inierant, ut quum praeter eos nemo emeret, possent pretium constituere et mercatores parvo vendere cogerentur. Est tamen hoc novum caput accusationis, quod non continetur iis, quibus pertractatis supra sect. 5 se tota accusatione defunctum esse dicebat orator (7).

§ 18. ἀναμνήσθητε δ' ὦ ἄνδρες δικασταί, ὅτι πολλῶν ἤδη ἐχόντων ταύτην τὴν αἰτίαν λαμβάνειν καὶ μάρτυρας παρεχομένων θάνατον κατέγνωτε. Westermanni coniectura, quam non intellegebat Scheibius, haec est: ταύτην τὴν αἰτίαν, (ἀλλὰ τοῦ μὴ δίκην ὑμᾶς παρ' αὐτῶν) λαμβάνειν καὶ μάρτυρας κ. τ. ἑ., sed fortasse καί (ante μάρτ.) simul omissum voluit. Kayserus in Philol. XI. 165: λανθάνειν (δὲ πειρωμένων) καί. Muellerus ib. XII. 104: (ἀλλ' οὐ βουλομένων) λαμβάνειν. Dobreus αἰτίαν (καὶ ἀρνουμένων) καί. Aliquid excidisse apertum est; quae supplenda sint, dubium. Westermanni tamen sententia (τοῦ μὴ δίκην λαμβάνειν, *ut ne vos sumeretis*) mihi satis probabilis videtur.

§ 21 cum Dobreo legendum παρὰ τούτων pro παρ' αὐτῶν.

Oratio sine dubio Lysiaca; nam ea etiam quae minus placeant ab eius dicendi forma atque ingenio non aliena sunt. Notandum tamen futurum ἐλεύσομαι § 11, in loco ceteroquin minime suspecto. Inde et ex capite altero accusationis suo loco omisso (cf. § 17) recensionis multo post oratoris mortem factae argumenta quis petat.

## XXIII. ΚΑΤΑ ΠΑΓΚΛΕΩΝΟΣ ΟΤΙ ΟΥΚ ΗΝ ΠΛΑΤΑΙΕΥΣ.

Multa in hac oratione offendunt, quibus nunc remedia adhiberi non possunt. Ac primum de singulis.

§ 2. *εἰπόντος δὲ τούτου ὅτι Πλαταιεὺς εἴη, ἠρόμην ὁπόθεν δημοτεύοιτο, παραινέσαντός τινος τῶν παρόντων προςκαλέσασθαι καὶ πρὸς τὴν Φυλήν, ἥςτινος εἶναι σκήπτοιτο.* Postrema verba *παραιν.* — *σκηπτ.* illo loco languida sunt, et post brevem illam sententiam (*ἠρόμην ὁπ. δημ.*) nimis producta. Nec quo vinculo haec cum superioribus iungantur manifestum est; etiamsi ad demotas tantum aut aliud quodvis iudicium, non simul ad tribum rem delaturus esset, tamen nomen demi sciret necesse erat; nihilo minus dicit, se quod *etiam* tribules (*καὶ πρὸς τὴν Φυλήν*) aditurus esset, demum quaesivisse. Neque tamen haec (sic scripta *δημοτεύοιτο. Παρ. δέ τινος* — tum *ἐπειδὴ ἀπεκρ.* omisso *δέ*) cum sequentibus apte cohaerebunt, ut cuivis, etiam strictim consideranti, apparebit. Sunt autem haec:

*ἐπειδὴ δ' ἀπεκρίνατο ὅτι Δεκελειόθεν, προςκαλεσάμενος αὐτὸν καὶ πρὸς τοὺς τῇ Ἱπποθωντίδι δικάζοντας, ἐλθὼν ἐπὶ τὸ κουρεῖον τὸ παρὰ τοὺς Ἑρμᾶς, ἵν' οἱ Δεκελεῖς προςφοιτῶσιν, ἠρώτων, οὓς τ' ἐξευρίσκοιμι Δεκελέων ἐπυνθανόμην εἴ τινα γιγνώσκοιεν Δεκελειόθεν δημοτευόμενον Παγκλέωνα.* In qua sententia repetitum fere vides illud de tribulibus, quorum iudicium vix aliud esse potuit quam diaetetarum; tributim enim in nullo tribunali quam arbitrorum ius dictum esse novimus. Cf. Hermann. Antiqu. § 145. 16. Arbitrum igitur adacturus erat de eadem illa causa, quam antea ad Polemarchum deferre constituerat. Nam ut primum postea cognoscit alios quoque rem cum Pancleone habuisse in foro Polemarchi, omittit consilium instituendi actionem apud tribules (§ 5). Et quaestionem de Pancleonis civitate, sive *γραφὴν ξενίας* non ad tribules deferre potuit; illa enim pertinebat ad iurisdictionem thesmothetarum. Cf. Meier. de bonis damn. p. 94, sqq. Att. Proc. p. 348, sqq. Duo ex his apparent, primum *προςκαλεσάμενος* non esse aptum, sed requiri futurum *προςκαλούμενος* (pro quo librarii scripsisse videntur *προςκαλεσόμενος*, unde depravatio nata); *antequam* actionem tanquam in civem apud tribum institueret, certo scire voluit, num

Pancleo Plataeensis esset, eoque consilio se contulit ad tonstrinam, quae erat prope porticum Hermarum. Alterum hoc est, quod καί tam ante πρὸς τὴν Φυλήν, quam ante πρὸς τοὺς τῇ difficilem aut potius nullam explicationem admittit. Sed aliud est in hoc loco molestum, ἠρώτων sine obiecto positum. Necessarium paene est, ut ex superioribus intellegatur τοὺς Δεκελέας. Sed ita supervacanea sunt quae sequuntur οὕς τ' ἐξευρίσκοιμι Δεκελέων. Itaque ἠρώτων omittendum est, aut obiectum addendum ab οὕς τ' ἐξ. Δεκ. diversum, veluti ἐρωτῶν τοὺς παρόντας, οὕςτινας ἐξευρίσκοιμι Δεκελέας, ἐπυνθανόμην, quae tamen mutatio correctionis potius quam emendationis similis est; aut omisso ἠρώτων sic: παρ' ὧν ἐξευρίσκοιμι Δεκελέων ἐπυνθανόμην, quod magis placet et probabilitate non caret. Ad παρ' ὧν enim adscribi facile potuit explicatio τῶν, οὕς: ΠΑΡΩΝΤΩΝΟΥC, unde exstitit ΗΡΩΤΩΝΟΥC. Cf. § 7: ἐλθὼν οὖν εἰς τὸν τυρὸν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐπυνθανόμην αὐτῶν. — Verba autem παραινέσαντος — σκήπτοιτο mihi suspecta sunt.

§ 8. καὶ τὸν ὃς ἔφη δεσπότης τούτου εἶναι. Non mirer omissum esse post τόν: Νικομήδη. Is enim intellegitur; nam is in proximis, ab actore de Pancleone edoctus, hunc sibi vindicat. Cf. ad 13. 91.

§ 10. οὔτ' ἀδελφὸς οὔτ' ἄλλος οὐδεὶς ἦλθε, γυνὴ δὲ φάσκουσ' αὐτῆς αὐτὸν εἶναι δοῦλον, ἀμφισβητοῦσα τῷ Νικομήδει, καὶ οὐκ ἔφη ἐάσειν αὐτὸν ἄγειν. Notandum illud ἔφη post φάσκουσα (φάσκουσα καὶ ἔφη); concinnius fuisset καὶ οὐκ ἐῶσα αὐτὸν ἄγειν.

§ 11. Minus apte haec dicuntur: εἰς τοῦτο δὲ βιαιότητος ἦλθον οἵ τε παρόντες τούτῳ καὶ αὐτὸς οὗτος, ὥστε — ἀφελόμενοι ᾤχοντο. Non enim Pancleo ipse ἀφείλετο sed ἀφῃρέθη.

Collatis inter se sectionibus 12 et 13 videor mihi documentum invenire, postremam manum operi non accessisse. Si quis § 13 legat solam: ὅτι μὲν οὖν Πλαταιεὺς εἶναι πολλοῦ δεῖ, οἶμαι ὑμᾶς ἐκ τούτων σχεδόν τι γιγνώσκειν· ὅτι δὲ οὐδ' οὗτος, ὃς ἄριστ' οἶδε τὰ αὑτοῦ, ἡγήσατο δόξαι ἂν ὑμῖν

Πλαταιεὺς εἶναι, κ. τ. ἑ. putet necesse est, in superioribus de ipsa re tantum sermonem esse, nunc transire oratorem ad Pancleonis confessionem. Non aliam haec explicationem admittunt. At § 12 iam dictum erat: ὅτι οὐδ' αὐτὸς Παγκλέων νομίζει ἑαυτὸν μὴ ὅτι Πλαταιέα εἶναι ἀλλ' οὐδ' ἐλεύθερον. Pergit igitur § 13 eandem rem demonstrare, sed verbis utitur ad alia transitum parantibus. Omissa tota sectione 12 aut mutata 13 in hunc fere modum ... γιγνώσκειν· ὅμως δὲ καὶ ἐξ ἄλλων ὧν ἔπραξε ταὐτὸν μαθήσεσθε, haec recte se haberent.

§ 14. ἐπεὶ δ' ὑπερήμερος ἐγένετο, ἐξέτισε τὴν δίκην, καθότι ἔπειθεν. Mulctam igitur pependit, sicuti convenerat cum Aristodico. Antequam vero ad compositionem venit, Thebas fugit, ibique inquilinus fuit (μετῴκει). Ordinem igitur rerum pervertit, haec postrema sectione demum 15 narrans; sed huius dispositionis causa esse potuit haec, quod ex ea fuga et odio inter Plataeenses et Thebanos novum argumentum petit (15: καίτοι κ. τ. ἑ.) quod sic a superiore clarius distinguitur.

§ 16. Frigent postrema verba: ἐὰν γὰρ διαμνημονεύητε, οἶδ' ὅτι τά τε δίκαια καὶ τἀληθῆ ψηφιεῖσθε, καὶ ἃ ἐγὼ ὑμῶν δέομαι. Quanto melius haec sic se haberent: ἐὰν γὰρ διαμνημονεύσητε [τὰ εἰρημένα, καὶ ποιήσηθ'] ἃ ἐγὼ ὑμῶν δέομαι, οἶδ' ὅτι τά τε δίκαια καὶ τἀληθῆ ψηφιεῖσθε.

De tota causa ita statuendum puto. Actor iniuriarum actionem (§ 2 ἀδικῶν οὐκ ἐπαύετο) contra Pancleonem apud Polemarchum instituerat (§ 5); tum Pancleo exceptionem affert, contendens cognitionem non esse Polemarchi (is de inquilinis ius dicebat), quoniam Plataeensis i. e. civis esset (cf. Hermann. Antiqu. § 117, n. 6; van den Es, de connubio in: Bijdragen van het Gen. van Leeraren aan de Nederl. Gymn. 1858—1859, p. 50, sq.). Ad quem refellendum dum testimonia conquirit, accidit ut Nicomedes quidam Pancleonem tanquam suum servum abducat; sed datis vadibus ille dimittitur in diem proximum, ut ea de re iure agatur. Tum vero Pancleo a familiaribus per vim e iudicio abductus

est (§ 11). Nunc vero ante forum Polemarchi rursus adest. Certatur de *ἀντιγραφῇ*, ut apparet ex § 10: *τῆς τε ἀντιγραφῆς ἕνεκα ταυτησὶ καὶ αὐτῆς τῆς δίκης* (nim. principalis actionis iniuriae, § 2) et quidem aliquanto postquam primum causa in ius delata est; nam quae de Nicomede narrantur (§ 9) intercesserant. De *ἀντιγραφῇ* sive *παραγραφῇ* cf. Meier. et Schoemann. p. 647.

De huius orationis auctore dubitanter loquitur in Misc. Obss. Amstel. T. VII. p. 319 vir doctus aliquis (Dobreus Hemsterhusium dicit, sed subscriptae sunt litterae J. E.). Equidem spondere ausim, hanc Lysiacam esse, sed aut non satis ab auctore aut satis superque ab aliis refictam. Rerum enarrationi non desunt lumina sua; habet haec evidentiam, quae Lysiae propria est; sed subinde nexus sententiarum non optimus, et plena expositio causae desideratur. Si divinari licet, dixerim epitomen esse, quae conferri possit cum altera Theomnestea. Alienae manus indicium sunt quoque verba *καί μοι ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ*, quae in Lysiae orationibus alibi vix inveniuntur et non apta sunt brevitati huius, in qua oranda non verendum erat ne tempus deesset.

### XXIV. ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΑΔΥΝΑΤΟΥ.

§ 1. *πρόφασιν ἐφ' ἧς τοῦ βίου λόγον δοίην.* Usus, nisi fallor, postulat *ἐφ' ῇ*.

§ 2. *τούτοις φθονεῖ οὓς οἱ ἄλλοι ἐλεοῦσι.* Attractionis neglectae exempla allata sunt a Kruegero, quibus quaedam addidi (Gramm. § 51. A. 44). Add. porro Xen. Hell. I. 5. 3, Lycurg. § 127, Plat. Rpbl. II. 366. E, Dem. 4. 6. et 23. 158. Lys. 14. 40: *τῶν ὅρκων οὓς ὠμόσατε.* Contra 10 sub f. *τοῖς ὅρκοις οἷς ὀμωμόκατε* et 31. 2 *τοῖς ὅρκοις, οἷς ὤμοσα* (Lobeck. ad Ai. p. 273). Nullam video causam, quare Lysias *τοῖς ὅρκοις, οἷς* dedisset, non vero *τῶν ὅρκων ὧν*, nec quare *οὓς ἐλεοῦσι* potius quam *οἷς*. Sed § 6 sententia flagitat ut contra MSS. omissa attractione legatur *ἥν*, quoniam membrum relativum

non attributive superiori *ταύτης* iungitur (secus Bremius). — § 2 *οὐ μὲν γάρ, κ. τ. ἑ.* et § 3 [*καλῶς*] recte emendavit Cobetus; nam quod Rauchenstein. post Cobetum dedit *οὐ μὲν γὰρ ἕνεκα χρημάτων με συκοφαντεῖ· εἰ δ' ὡς ἐχθρὸν ἑαυτοῦ με τιμωρεῖται, ψεύδεται* nihili est nisi *τιμωρεῖται* pro *τιμωρεῖσθαί μέ φησιν* dictum existimes, quod non probabile; pro *καλῶς* cum Muellero Philol. XII. 105 substituendum esse *εἰκότως* aut *δικαίως* minus veri simile est quam sciolum *καλῶς* de suo dedisse, ideoque hoc eiiciendum esse.

§ 3. *ἤδη τοίνυν* similiter iunguntur Plat. Crat. 434. B. et Xen. Conv. 5. 5. Neutro loco *ἤδη* temporis significationem amittit; *τοίνυν* conclusivum est; *ἤδη*: „nunc secundum tuam „affirmationem," aut, ut hoc loco, „post ea quae demon- „strata sunt."

§ 4. *Περὶ μὲν οὖν τούτων τοσαῦτά μοι εἰρήσθω.* Fort. *τουτουΐ.* Dobreus, quod postea animadverti, *τούτου.*

§ 5. *ὅτι δύναμαι συνεῖναι δυναμένοις ἀνθρώποις ἀναλίσκειν.* Suspectum mihi est *ἀνθρώποις*, quod et per se languidum et ordinem verborum turbat.

§ 6. *τὸν διαδεξόμενον.* Servum significat qui sic artificium suscipiat ut lucrum ad dominum redeat. Recedit igitur aliquatenus a vulgari usu, ex quo successorem designaret.

§ 7. *τοὺς καὶ τοῖς ἐχθροῖς ἐλεινοὺς ὄντας ἀγρίως ἀποδέξησθε.* Alibi *ἀποδέχεσθαι*, si hominis nomen tanquam obiectum sequitur, in bonam partem dicitur, ut sit *cum benevolentia excipere, probare aliquem.* Cf. si tanti Taylor. ad 25. 11. Fortasse legendum est *ἀποδιώξητε*, *repellatis*, qua vi *ἀποπέμπεσθαι*, *ἀπελαύνειν* vulgo usurpatur. Rarioris usus vocabulum facile fraudi librariis esse potuit. *Καταδιῶξαι* ex Lysia affertur in Bekkeri Anecdd. p. 103. 11.

§ 8. *τὰ τούτοις ἐχόμενα κακά* retinent Scheib. et Rauch. Sed verum est *ἑπόμενα*, iam a Reiskio propositum. Nam loci Platonis Gorg. 494. E. *ἐάν τίς σε τὰ ἐχόμενα τούτοις ἐφεξῆς ἅπαντα ἐρωτᾷ* et Polit. 271. B: *ἐχόμενον γάρ ἐστι τῷ τοὺς πρεσβύτας ἐπὶ τὴν τοῦ παιδὸς ἰέναι φύσιν, ἐκ τῶν τετε-*

λευτηκότων αὖ, κειμένων δ' ἐν γῇ, πάλιν ἐκεῖ ξυνισταμένους καὶ ἀναβιωσκομένους ἕπεσθαι τῇ τροπῇ — εἰς τἀναντία τῆς γενέσεως nihil prorsus probant, quod in priore τούτοις pendet ab ἐφεξῆς, in altero sententia requirit, ἑπόμενόν ἐστι, *consequens est.*

§ 9 sub fin. Defendo librorum lectionem τοιοῦτον εἶναι καὶ ἔτι πονηρότερον, pro qua alii καὶ ἔστι τι, alii καὶ τί ἔτι aut καὶ τί. Sententia est: „miserum talem illum esse *aut* peiorem etiam." Cf. ὀλίγου τινὸς ἀξία ἐστὶ καὶ οὐδενός, Plat. Apol. 23. A. Μικρὰ καὶ οὐδέν, Dem. 18. 104. Δύο καὶ τρία βήματα, Xen. An. IV. 7. 10. Καὶ — καὶ disiunctive pro *aut* ponuntur Lys. 27. 3: ὁπόταν ἐν χρήμασιν ᾖ καὶ σωθῆναι τὴν πόλιν καὶ μή. 12. 26: ἐπί σοι μόνῳ ἐγένετο καὶ σῶσαι Πολέμαρχον καὶ μή. Xen. Hell. I. 7. 23: διαψηφίζεσθαι ἐάν τ' ἀδικεῖν δοκῶσιν, ἐάν τε μή. Non sane demonstratum erat adversarium *etiam peiorem* esse, sed tota haec argumentatio est coniecturalis.

§ 10. Mihi obiicere ausus est equi usum, οὔτε τὴν τύχην δείσας, οὐθ' ὑμᾶς αἰσχυνθείς. Ex adiectis efficias facile τύχην deam significari. Sic Τύχη hoc loco esset dea vindex, quae si quis erga infelices sit immisericors, poenas exigat, quasi Nemesis quaedam, quae insolenter miseris insultantes in calamitatem detrudat. Est sane insolitum ut hoc Tychae adscribatur, cuius etsi vis maxima est, tamen certis legibus non adstringitur, quare ad Τύχην non facile provocatur, ut quis ab insolentia revocetur. Fuit igitur, quum legendum putarem οὔτε τὴν τύχην ἐλεήσας, „neque *meae* sor„tis misertus" (ΔΕΙϹΑϹ, ἐΛΕΗϹΑϹ). Sed ferri potest vulgata si τύχην interpretere rerum humanarum vicissitudinem. Locos de Tyche collegerunt Limburg Brouwer, Hist. de la civilis. VII. p. 69—71 et Naegelsbach in libro: Die Nachhomerische Theologie.

§ 10. Cobetus cum aliis dedit ἐγὼ γάρ, ὦ βουλή, πάντας οἶμαι τοὺς ἔχοντάς τι δυςτύχημα τοιοῦτον ῥαστώνην τινὰ ζητεῖν καὶ τοῦτο φιλοσοφεῖν ὅπως —, sed οἶμαι et ῥαστώνην τινά desunt in Palatino et deberi puto correctori Laurentiani.

Ex coniecturis propositis — ἔγνων γάρ Scheib., λέγω γάρ dubitanter Reisk., τοιοῦτο νομίζω δεῖν καὶ τοῦτο φ. Tayl., ἐγὼ γὰρ ὁρῶ Saupp. — facillima simul et sententiae maxime accommodata est postrema: ἐγὼ γὰρ ὁρῶ, a Rauchensteinio adscita; nam inter ΑΡ et Ω omitti potuisse ΟΡΩ quisque videt. Sequentia sanata erunt, si pro ζητεῖν κ. τ. φ. reposueris ζητεῖν τοῦτο καὶ φιλοσοφεῖν, in quam coniecturam iam incidisse video Augerium, a recentioribus neglectum. — Ῥᾳστώνην corrector sumsit ex § 11, sub fin.

§ 11. Cum Scheibio facio omittente ῥᾴδιόν ἐστι μαθεῖν, § 12 σιωπᾶν ἂν scribente pro σιωπᾶν et εἰμί pro εἴην in his: ἄτοπόν ἐστιν ὦ βουλή, τοῦτον — ὅτι ἐπὶ τοὺς ἠτημένους ἵππους ἀναβαίνω, πειρᾶσθαι πείθειν ὑμᾶς ὡς δυνατός εἰμι. Cobetus his locis antiquam retinuit lectionem.

§ 13. (τί κωλύει) ὑμᾶς ἐμοῦ μὲν ἀφελέσθαι τὸν ὀβολὸν ὡς ὑγιαίνοντος, τούτῳ δὲ ψηφίσασθαι πάντας ὡς ἀναπήρῳ; Non sine causa offendit in πάντας nescio quis, qui tamen satis inepte πέντε adscripsit in margine exemplaris editionis Reiskianae, quod est in bibliotheca Groningana. Sed cf. § 19 et 27.

§ 14. ἀλλὰ γὰρ οὐδ' ὑμεῖς τούτῳ τὴν αὐτὴν ἔχετε γνώμην, οὐδ' οὗτος εὖ ποιῶν. Coniecturis a Scheibio enumeratis addas οὐδ' οὗτος ἑαυτῷ, Kayser. Philol. XI, p. 161. Ad sententiam recte, opinor. Sed ea non mutatur omisso ἑαυτῷ, quod ex superiori τούτῳ cogitatione suppletur: „nec sibi ipse consentit, et recte hercle!" Nam si sibi ipse constaret, fatendum esset illi se ipsum esse claudum. Convenit hoc cum argumentandi ratione in superioribus: καὶ ὑμᾶς ἐμοῦ μὲν ἀφελέσθαι τὸν ὀβολὸν ὡς ὑγιαίνοντος, τούτῳ δὲ ψηφίσασθαι πάντας ὡς ἀναπήρῳ, si ego, inquit, ita affectus, non sum claudus, hic, qui contraria ratione est affectus, claudus est. In sequentibus autem omittit hanc sententiam; nam per γάρ annectitur demonstratio illorum οὐδ' ὑμεῖς τούτῳ — γνώμην. Cf. ad 12. 41. — Muellerus in Philol. XII. 106 coniecit οὐδ' οὗτος ὑμῖν, ὁ μὲν γὰρ εὖ ποιῶν ὥσπερ, κ. τ. ἑ.

Sequuntur proxime haec: *ὁ μὲν γὰρ ὥσπερ ἐπὶ κλήρου τῆς συμφορᾶς οὔσης ἀμφισβητήσων ἥκει.* Sic Palat.; recte nunc *ἐπικλήρου.* Tamen admodum durum est calamitatem ipsam filiam haereditariam dici; non res rei comparatur sed actio actioni; et tertium, quod dicitur, comparationis est cupiditas vindicandi. Multo igitur aptius et elegantius omisso *οὔσης* legi posse videtur *ὡς περὶ ἐπικλήρου τῆς συμφορᾶς ἀμφισβητήσων*, de calamitate tanquam de filia haereditaria mecum certaturus. Nam in eiusmodi constructione notum est praepositionem semper semel tantummodo collocari. Largam copiam exemplorum habet Cobetus, var. Lect. p. 164, ubi quae contrariae rationis exempla attulerat Stallbaumius ad Phaed. p. 67. D corriguntur. Subtile tamen discrimen quod constituit inter *περὶ τῆς συμφορᾶς ὡς περὶ ἐπικλήρου* et *ὡς περὶ ἐπικλήρου τῆς συμφορᾶς*, etsi verum sit, tamen an non sit perpetuum dubito. In priore construction in ipso verbo inesse comparationem putat, in altera substantivum substantivo aequiparari. Sed, ut hoc loco utar, Platonem in Rpbl. VIII. p. 553. B. scribentem *πταίσαντι ὥσπερ πρὸς ἕρματι τῇ πόλει*, dixerim non notare in universum similitudinem scopuli et civitatis, sed rationem qua allidatur. Eandemque rationem esse puto in his Phaed. 115. B. *ὥσπερ κατ' ἴχνη τὰ νῦν εἰρημένα — ζῆν*, et Luc. bis Acc. (47) 21 *ὥσπερ ἱκέτην ἐπὶ τὸν τοῦ ἐλέου βωμὸν τὴν ἡδονὴν καταφυγεῖν.* Nihil enim commune habet altare et voluptas nisi quod eadem ratione confugitur ad utrumque. Plura etiam exempla huius constructionis affert Doct. Naber, Tijdschrift voor de Nederl. Gymn. 1864, p. 68, sqq. Non multa demonstratione egebit librarios ex *ὡς περὶ ἐπὶ* effingere potuisse *ὥσπερ ἐπί*, quo facto ut sententia constaret *οὔσης* erat addendum.

§ 15. Convicia in me congerit *ὥσπερ εἰ φοβερῶς ὀνομάσαι μέλλων ἀληθῆ λέγω, ἀλλ' οὐκ ἂν πάνυ πρᾴον ὡς μηδὲ ψεύδηται ταῦτα ποιήσων.* Sic Palat.; Scheib.: *λέγειν* et *πρᾳόνως.* Inutile est omnes coniecturas ad hunc locum factas recensere. Tantum contendo *φοβερῶς ὀνομάζειν τινά* non posse significare

horrenda probra coniicere in aliquem; φοβερῶς ὄν. non esse graecum videtur, nisi significatione ab hoc loco aliena. Igitur φοβεροῖς ὀνόμασι verum puto (quasi per horrida vocabula vera sit dicturus); reliqua non praesto, sed sic legi potuerunt: ὡσπερεὶ φοβεροῖς ὀνόμασι μέλλων ἀληθῆ λέγειν, ἀλλ' οὐχ ἂν πάνυ πρᾳόνως μηδὲ ψευδῆ, ταῦτα πείσων. Non multo maior esset mutatio μᾶλλον ἀληθῆ λέγων, sed μέλλω recte se habet (quasi consecuturus sit, ut vera dicat, vera dicere videatur) et futuri temporis significatio aegre desideraretur. Ex ψευδη ταυτα factum est ψευδηται ταυτα duabus litteris male repetitis. Λέγῃ cogitatione ex superioribus (ἀληθῆ λέγων) suppletur. Πρᾳόνως μηδὲ ψευδῆ ut καλῶς καὶ ἀληθῆ, σαφῆ καὶ ἀκριβῶς, Stallb. ad Plat. Phaed. 79. D. Πείσειν et ποιήσειν alibi quoque confusa mihi reperire visus sum. Cf. ad 13. 9. De ὡσπερεί cum participio cf. si tanti Plat. Prot. 328. D, et al.

In fine orationis transpositione et interpolatione plura corrupta videntur. § 21 legerim εἰ γὰρ περὶ τῶν μεγίστων εἴρηκα, τί δεῖ περὶ τῶν φαύλων ὁμοίως τούτῳ σπουδάζειν (τούτῳ, accusatori) pro περὶ τῶν ὁμοίως τούτῳ φαύλων; nam obscura haec esse ita posita, satis docet interpretum (cf. Reisk. et Rauchenst.) dissensio, quorum nemo probabilem dedit explicationem. § 22 civitas, inquit, nobis hanc stipem dedit ἡγουμένη κοινὰς εἶναι τὰς τύχας τοῖς ἅπασι [καὶ τῶν κακῶν καὶ τῶν ἀγαθῶν], rata communem esse omnibus calamitatem, i. e. civium singulorum adversae fortunae, tanquam publicae, subveniendum esse. Verba notata turbant sententiam, et insolenter dictum est αἱ τύχαι τῶν κακῶν (Reisk.: rerum adversarum sortes). § 24 ἀλλ' οὐ τοιαύταις ἀφορμαῖς τοῦ βίου [πρὸς τὰ τοιαῦτα] τυγχάνω χρώμενος manifesto interpolata sunt πρὸς τὰ τοιαῦτα. § 25 ἐξὸν μοι μετ' ἐκείνων (τῶν λ') ἀδεῶς πολιτεύεσθαι, μεθ' ὑμῶν εἱλόμην κινδυνεύειν ἁπάντων. Lego ὑπὲρ ἁπάντων, omnia in discrimen dare. Sic Dobreus quoque. Quare vulgata lectio non possit probari demonstratum est ab aliis, quorum coniecturas vid. ap. Scheibium. § 26 ὁμοίως ὑμῶν τύχοιμι τοῖς πολλὰ ἠδικηκόσιν cum Cobeto legen-

dum *ὁμοίων* — *τοῖς π. ἠδ.* i. e. *οἵων ὑμῶν τυγχάνουσιν οἱ πολλὰ ἠδικηκότες*. Cf. Xen. Oec. 13. 12 *οὐδ' ὁπωστιοῦν τῶν ἴσων ἀξιῶ τοὺς ἀμείνους τοῖς κακίοσι τυγχάνειν*, in quibus eadem fere breviloquentia est. Denique § 27 pro *ἐγὼ δὲ τούτων ὑμῖν τυχών* cum Marklando lege *τοιούτων ὑμῶν τυχών*. Cf. § 23 sub f. et 18. 23. — § 27 pro *αὐτῷ* substituendum *αὑτῷ*.

Lepida et iocosa in hac oratione inveniuntur sane quaedam. Quum in causa non gravissima accusator fatuus inepta partim argumenta attulisset, non serio omnia redarguit reus, sed adversario suo irridere studet. Qui quum contendisset, reum non esse egenum (*ἀδύνατον*), quod cum divitibus consuetudinem haberet, alter detorquet criminationem sic ut dicat se *ἀδύνατον* non haberi quia nimirum *ἠδύνατο συνεῖναι δυναμένοις* (§ 5); quum obiectum esset equo subinde vehi reum, ille, miror, inquit, accusatorem mihi non vitio dare quod duobus baculis innisus progrediar, cum uno possim (§ 12); mihi, inquit, infirmitatem invidet accusator, et de claudo pede tanquam de filia haereditaria rixatur, sed suadeo illi, ut ne sibi constet claudumque sibi vindicet pedem, ne ab archontis munere obeundo excludatur (§ 14). Festiva haec sane, sed rem exaggerasse puto Rauchensteinium, qui specimen vernaculi leporis admixta gravitate simul et nativa simplicitate et petulantia agnoscat, quo praestantius non facile quis inventurus sit (prooem. ad hanc orat. sub fin.: „es ist nicht leicht eine Mischung von Lustigem, Derbem, Ernstem, Naivem auch mit einem Anspruch auf das Rührende zu einem sich so schön bestimmenden Ganzen zusammenzuarbeiten und einen so eigenthümlichen Charakter mit so schlichten Mitteln darzustellen"). Subtilis elegantia et urbanitas orationi plane deest; ioci autem minus politi delectare sane possunt et causae prodesse, si tanquam in ipso orationis momento nati fingantur, sed si manifesto adhibito studio, ut in hac oratione, proferantur verbis usu oratorum fere receptis, dissensus quidam exsistit inter materiam atque formam, ut nescias serione quaedam an ioco dicantur. Dica-

citati tali qualis est § 14 repugnat orationis color placidus et quietus, non protervitatis et petulantiae plenus. Festivum est quod senex paene decrepitus (cf. § 6: ἣν αὐτὸς ἤδη χαλεπῶς ἐργάζομαι. § 8: γῆρας — προςγίγνεταί μοι) et corporis vitio ab amore exclusus, dicit παῖδες δέ μοι οὔπω εἰσὶν, οἵ με θεραπεύσουσιν (§ 6). Sed collatis proximis dubius haerebis, utrum hunc scurrilem iocum voluerit claudus, an minus perspicue significaverit: liberi, quos habeo, nondum adulti sunt nec satis valent, ut me sustentent. Paucis vocabulis post serio argumentatur. Hominis dicta et facetiae a Lysia forma legitima orationum iudicialium induta sunt, sed eo ipso saporis aliquantum amiserunt. Libertas oris hominis plebeii pugnat cum sententiis in artis incude procusis. In fine autem orationis nihil hilaritatis („*heitere* Zuvörsicht") video equidem, nec quod magnopere iudicem commovere possit.

Verum, etsi aliquid detrahendum puto de singulari laude, qua Rauchensteinius hanc extollit orationem, tamen minime nego suas illam habere virtutes. Ordine et subtiliter singula accusationis capita redarguuntur. Omnia, quae commemoranda erant, uno loco componuntur, § 4: Φησὶ γὰρ ὁ κατήγορος οὐ δικαίως με λαμβάνειν τὸ παρὰ τῆς πόλεως ἀργύριον· καὶ γὰρ τῷ σώματι δύνασθαι καὶ οὐκ εἶναι τῶν ἀδυνάτων [1]) (cf. § 13, 14), καὶ τέχνην ἐπίστασθαι τοιαύτην ὥστε καὶ ἄνευ τοῦ διδομένου τούτου ζῆν (§ 6, 9), καὶ τεκμηρίοις χρῆται τῆς μὲν τοῦ σώματος ῥώμης, ὅτι ἐπὶ τοὺς ἵππους ἀναβαίνω (§ 10—12), τῆς δ' ἐν τῇ τέχνῃ εὐπορίας, ὅτι δύναμαι συνεῖναι δυναμένοις [ἀνθρώποις] ἀναλίσκειν (§ 19, 20). His annectuntur quae ad miserationem commovendam apta sunt § 7, 8; quae § 15—18

---

1) Hace verba καὶ οὐκ εἶν. τ. ἀ. vel hanc ob causam non debebant Tayloro et Dobreo suspecta esse, quod aliud est τῷ σώματι μὴ δύνασθαι quam εἶναι ἀδύνατον 'Αδύνατος enim nec ad corpus tantum nec ad rem familiarem solam pertinet sed ad utrumque simul, ut tota argumentatio docet, quare ex hac quidem oratione effici non licet, omnes egenos Athenis publice sublevatos esse, sed eos tantum, qui corpore simul non valerent.

leguntur necessariam continent morum defensionem. Et primo quidem illud refutat crimen reus, quod ex artificio, quo vitam aliquatenus sustentabat, petitur, ut ab initio (§ 6) opportunitatem habeat suae vitae enarrandae. Quod ex equitatione effecerat accusator, reum corpore valere (τῆς τοῦ σώματος ῥώμης § 5), id callide detorquet orator § 10, sq., opponens se equo vehi propter paupertatem, quasi illud tanquam opulentiae indicium accusator attulisset. De consuetudine cum prodigis agens § 19, sq. astute vitium eorum, qui suam domum frequentabant, convertit in omnes Athenienses, quasi omnes, qui in tabernas ad forum convenire solerent, eosdem mores haberent (§ 20: ὥστ' εἴ τις κ. τ. ἑ.), in quo plane Lysiam agnoscimus. Simplicis hominis argumentatio ea est, qua ex coniectura de eo, quod accusatorem aliquando facturum fuisse consentaneum esset, tanquam ex re ab omnibus concessa argumentum petitur (§ 9), quod quamquam a vulgari Lysiae ratione non abhorret, tamen hoc loco consulto ab eo factum puto ad huius ἀδυνάτου ingenium describendum; eodem consilio bis familiarem sibi oppositionem inter *unum* qui persuadeat et *omnes* qni secus sentiant adhibuit § 13: τοσοῦτον δὲ διενήνοχεν ἀναισχυντίᾳ τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων, ὥσθ' ὑμᾶς πειρᾶται πείθειν, τοσούτους ὄντας, εἷς ὤν, ὡς οὐκ εἰμὶ τῶν ἀδυνάτων ἐγώ. cf. § 22. His similia alia notavimus in Lysia ad 20. 10; add. 30. 32 et 31. 31. Fatendum est hoc argumentum esse admodum simplex et εὐήθειαν quandam prodere; orator sumit tanquam certum, omnes iudices sibi favere, et adeo causae confidit suae, ut animo fingere non possit, quemquam cum adversario facere posse; disceptationem de iure postulare libertatem persuadendi, adeo obliviscitur ut impudens ei videatur, qui persuadere iudicibus conetur. Sed consulto tale quid huic homini adscripsit Lysias, utpote eius ingenio unice accommodatum. Simplicis igitur hominis pectus et orationem expressit, sed latet sub hoc quasi amictu calliditas; et facile animi sub vulpe latentes iudices poterant decipere.

XXV. ΔΗΜΟΥ ΚΑΤΑΛΥΣΕΩΣ ΑΠΟΛΟΓΙΑ.

§ 1. Non mirandum est, vos accusatione audita, succensere omnibus aeque, qui in urbe remanserint, *τῶν δὲ κατηγόρων θαυμάζω, οἳ* (leg. *ὅτι* cf. ad 7. 87 et 18. 16) *ἀμελοῦντες τῶν οἰκείων τῶν ἀλλοτρίων ἐπιμελοῦνται· οἳ σαφῶς εἰδότες τοὺς μὲν* (ita Palat.) *ἀδικοῦντας, καὶ τοὺς πολλὰ ἐξημαρτηκότας ζητοῦσι κερδαίνειν ἢ ὑμᾶς πείθειν περὶ ἁπάντων ἡμῶν τὴν γνώμην ταύτην ἔχειν·* „Mirum est, inquit, eos *sibi* non „cavere sed alios insectari (*ἀμελοῦντες τῶν οἰκείων τῶν ἀλλο-„τρίων ἐπιμελοῦνται*)." Sed de ipsorum culpa nihil in proximis nunc est. Legendum: *τοὺς μὲν αὑτῶν μηδὲν ἀδικοῦντας, ἑαυτοὺς δὲ πόλλ' ἐξημαρτηκότας.* Ex *μέν* oculus librarii aberravit ad *μηδέν* propter similitudinem litterarum EN; ex ΕΑΥΤΟΥC factum est ΚΑΙΤΟΥC. In proximis pro *ἢ ὑμᾶς πείθειν* lego *ὑμᾶς πείθοντες*; nam illud *ἢ* ex dittographia ex-stitit quum *η* ad *ὑμᾶς* esset adscriptum: $\overset{\eta}{\text{ὑμᾶς}}$. Illa corruptela facta *πείθοντες* in *πείθειν* correctum est.

§ 2. *εἰ μὲν οὖν οἴονται, ἃ ὑπὸ τῶν τριάκοντα γεγένηται τῇ πόλει, ὁμοῦ κατηγορηκέναι, ἀδυνάτους αὐτοὺς ἡγοῦμαι λέγειν.* Libri *ἐμοῦ*; sed de se loquitur in sequentibus demum: *εἰ δ' ὡς ἐμοί τι προσῆκον περὶ αὐτῶν ποιοῦνται τοὺς λόγους.* Igitur recte *ὁμοῦ* substitutum est; sed pro *κατηγορηκέναι* tum requiritur *πάντ' εἰρηκέναι.* Kayserus, Philol. XI. 158, *πάνθ' ἃ—ὁμοῦ κατηγ.* — § 4 facio cum amico v. d. Es legente *ἐὰν ἀποφήνω συμφορᾶς μὲν μηδεμιᾶς αἴτιος γεγενημένος* i. e. *ἀποφήνω ἐμαυτὸν γεγενημένον*, ut loquitur Xen. Ag. 2. 7: *Ἀγησίλαον ἂν μοι δοκῶ ἄφρονα ἀποφαίνειν καὶ ἐμαυτόν* ut *δείξω οἷός τ' ὤν* et simm. Muellerus in Philol. XII. 106 *ἐὰν κἀγὼ φανῶ.*

§ 5. *Μέγα μὲν οὖν ἡγοῦμαι τεκμήριον εἶναι, ὅτι, εἴπερ ἐδύναντο οἱ κατήγοροι ἰδίᾳ με ἀδικοῦντα ἐξελέγξαι, οὐκ ἂν τὰ τῶν τριάκοντα ἁμαρτήματα ἐμοῦ κατηγόρουν.* In his tria sunt notanda; primum, quod *μέγα μὲν οὖν τεκμήριον* sic posita sunt, ut in proxime praecedentibus non fiat mentio eius, quod

probandum sit (requiras praeterea ἡγοῦμαι ἐμοὶ τεκμ.); tum quod per ὅτι annectitur non illud quod per documentum aliquod demonstratur sed documentum ipsum; denique quod εἴπερ contra vulgarem usum pro εἰ ponitur. Altero loco quod dixi illustrabunt haec exempla. Thuc. III. 66: τεκμήριον ὡς οὐ πολεμίως ἐπράσσομεν· οὔτε γάρ —. Plat. Crat. 436. C: μέγιστον δέ σοι ἔστω τεκμήριον, ὅτι οὐκ ἔσφαλται τῆς ἀληθείας ὁ τιθέμενος· οὐ γάρ —. Crit 52. B: μεγάλα ἡμῖν τούτων τεκμήριά ἐστιν, ὅτι σοι καὶ ἡμεῖς ἠρέσκομεν καὶ ἡ πόλις· οὐ γὰρ ἄν —. Xen. An. I. 9. 30: μέγα δὲ τεκμήριον καὶ τὸ ἐν τῇ τελευτῇ τοῦ βίου αὐτῷ γενόμενον, ὅτι καὶ αὐτὸς ἦν ἀγαθός. Et sic saepissime; ut illud quod demonstrandum sit per ὅτι enuncietur constans paene norma est, a qua raro admodum receditur; contra ingentem numerum locorum, ubi hoc observatur, haec tantum animadverti contraria: Xen. Hell. VII. 1. 23: καὶ ἀλκιμωτάτους δ' αὐτοὺς (τοὺς Ἀρκάδας) ἀπεδείκνυε, τεκμήρια παρεχόμενος ὡς ἐπικούρων ὁπότε δεηθεῖέν τινες, οὐδένας ᾑροῦντ' ἀντ' Ἀρκάδων. Plat. Crat. 398. A: τεκμήριον δέ μοί ἐστι (τὸν Ἡσίοδον λέγειν τὸ χρυσοῦν γένος οὐκ ἐκ χρυσοῦ πεφυκός) ὅτι καὶ ἡμᾶς φησι σιδηροῦν εἶναι γένος. — Denique εἴπερ hoc loco ponitur pro εἰ, quod significatione diversum est; prius enim aptum est ubi condicio non plane incerta est, sed dubitatio iam aliquatenus praecisa quod rem aut esse aut non esse subindicatur: *si modo, si quidem, si vel maxime, utique si.* Fortasse post ὅτι aliquid excidit et a Lysia scriptum fuit: μέγα μὲν οὖν τεκμήριον ὅτι οὐκ ἀδικῶ· εἰ γάρ, κ. τ. ἑ.

§ 7. Πειράσομαι ὑμᾶς διδάξαι, οὓς ἡγοῦμαι τῶν πολιτῶν προςήκειν ὀλιγαρχίας ἐπιθυμεῖν καὶ δημοκρατίας. Mirum est neminem praeter Herwerdenum offendisse in eo, quod vix impune pueri nesciant a vulgari usu recedere, relativo οὓς pro interrogativo posito. Huiusmodi exempla non sunt ita frequentia, ut rem tacito praeterire liceat. Xen. Hell. III. 2. 9: ὁ Δερκυλίδας οὐκ εἶπεν ἣν ἔχοι γνώμην. Thuc. VIII. 50. 5: γράψας καθ' ἕκαστα ἀτειχίστου οὔσης Σάμου, ᾧ ἂν τρόπῳ αὐτὰ

*πράξειεν* et paulo ante 46. 2: *ἀπορεῖν ἂν αὐτὸν οἷς τοὺς κρατοῦντας ξυγκαθαιρήσει* (*οἷς* pro *ὁποτέροις*, Lacedaemoniis an Atheniensibus). Soph. Ant. 734: *πόλις γὰρ ἡμῖν ἁμὲ χρὴ τάσσειν ἐρεῖ*; Oed. Col. 1171: *ἔξοιδ' ἀκούων τῶνδ' ὅς ἐσθ' ὁ προστάτης*. Eur. Iph. T. 756: *σήμαινε δ' ᾧ χρὴ τάσδ' ἐπιστολὰς φέρειν*. Arist. Plut. 58: *μανθάνεις ὅς φησιν εἶναι*; Sed hoc postremum nulli dubio obnoxium est. Elmsleius ad Eur. Med. 1086: „optime Graece dicitur *οἶδά σε, ὃς εἶ, novi te* „*quis sis*, minus bene vero *οὐκ οἶδά σε ὃς εἶ*. Rectius *ὅστις* „*εἶ*, vel etiam *τίς εἶ*." Tam frequens est illud *ὅς εἰμι*, ubi nomen alicuius quaeritur (Xen. CP. VI. 1. 46, Dem. 52. 7, Eur. Hel. 818, Soph. Ai. 1259, Ar. Ach. 442, Soph. Oed. Col. 1171; conf. Krüger. ad Thuc. I. 136. 3), ut haec pro legitima dicendi ratione haberi debeat. (*Ὅστις* est apud Thucyd. I. 137. 2). Reliqua modo allata etsi propter paucitatem non possunt in universum legem convellere, tamen prohibent quominus assentiar Herwerdeno scribenti *οἷςτισιν*. Accusativum cum infinitivo iunctum post *προςήκειν* et simm. exemplis defenderunt Rauchenstein. ad. 7. 37 Brem. ad h. l. Alia videsis in Gramm. § 55. ann. 28.

Proxime sequuntur haec: *ἐκ τούτου γὰρ καὶ ὑμεῖς γνώσεσθε, καὶ ἐγὼ περὶ ἐμαυτοῦ τὴν ἀπολογίαν ποιήσομαι, ἀποφαίνων ὡς οὔτ' ἐξ ὧν ἐν δημοκρατίᾳ οὔτ' ἐξ ὧν ἐν ὀλιγαρχίᾳ πεποίηκα, οὐδέν μοι προςῆκον κακόνουν εἶναι*. Verissime Kayserus delendum monet *ἀποφαίνων* post quod non recte staret *ὡς προςῆκον*, quod ad utrumque membrum (*γνώσεσθε* et *τὴν ἀπ. ποιήσομαι*) pertinet, sed constructione accommodatum est posteriori.

§ 9. Sunt ex quadringentis, qui tanquam libertatis patroni cum reliquis exulibus postea triginta viros eiecerint, et rursus illi qui pepulerunt quadringentos partim ipsi inter triginta viros fuerunt, *εἰσὶ δ' οἵτινες τῶν Ἐλευσῖνάδ' ἀπογραψαμένων, ἐξελθόντες μεθ' ὑμῶν, ἐπολιορκοῦντο μεθ' αὐτῶν*. Sic Palat.; vulgo *μετ' αὐτῶν*; sed haec varietas nihili est, quum olim scriberetur neglecta elisione *μετὰ αὐτῶν* vel *αὐτῶν*. *Οἱ Ἐλευσῖνάδε* sunt Athenienses qui expeditionem susceperunt ad triginta viros

Eleusine obsidendos, dictum similiter atque *οἱ ἀπὸ Φυλῆς, οἱ ἐκ Πειραιῶς, οἱ ἐν ἄστει, οἱ Μαραθῶνι καὶ Σαλαμῖνι* (Dem. 19. 312, Ar. Thesm. 806, al.). Quum igitur ii qui Eleusiniam susciperent expeditionem nomina professi essent, illi una profecti erant; ex quibus quamvis effici possit, hos ipsos quoque milites tum scriptos esse, tamen magis hoc perspicue dictum erit si pro *ἀπογραψαμένων* substitueris *ἀπογραψάμενοι. Ἀπογράφομαι Ἐλευσῖνάδε* breviter dictum sed plane atticum ut *παρασκευάζομαι οἴκαδε.* Dem. 21. 202: *οὐδαμοῦ πώποτε Μειδίας τῶν συνηδομένων οὐδὲ τῶν συγχαιρόντων ἐξητάσθη τῷ δήμῳ.* Xen. CP. IV. 3. 21: *ἐμὲ μὲν οὖν γράφε τῶν ἱππεύειν ὑπερεπιθυμούντων.* Isae. 7. 5: *τῶν ἐν Σικελίᾳ καταλεγεὶς τριηράρχων.* Supra 16. 15: *διεπραξάμην ὥστε τῆς πρώτης τεταγμένος μάχεσθαι τοῖς πολεμίοις.* Dem. 19. 302 inde emendandus: *ὃς γὰρ ἑαυτὸν τάξας τῶν ἀπιστούντων εἶναι Φιλίππῳ,* ubi *εἶναι* eiiciendum. *Κληροῦσθαι τῶν ἐννέα ἀρχόντων,* supra 24. 13 et al. Fieri vix potuit quin librarii invenientes *τῶν Ἐλ. ἀπογραψάμενοι* hoc in *ἀπογραψαμένων* mutaverint, non intellegentes *τῶν Ἐλ.* In fine sententiae *ἐπολιορκοῦντο μετ' αὐτῶν* (nam sic legendum non *αὑτῶν*) non sollicitandum videtur: *se obsideri cum iis* (triginta viris) *passi sunt.* Illi igitur moenibus egressi ut obsiderent, ipsi obsidionem passi sunt. Familiares quidam fuisse videntur triginta virorum, quorum paulo post in reconciliatione usus fuerit. Cf. Xen. Hell. II. 4 sub fin.: *ὑστέρῳ δὲ χρόνῳ ἀκούσαντες* (*οἱ Ἀθηναῖοι*) *ξένους μισθοῦσθαι τοὺς Ἐλευσῖνι, στρατευόμενοι πανδημεὶ ἐπ' αὐτοὺς τοὺς μὲν στρατηγοὺς αὐτῶν εἰς λόγους ἐλθόντες ἀπέκτειναν, τοῖς δ' ἄλλοις εἰςπέμψαντες τοὺς φίλους καὶ ἀναγκαίους ἔπεισαν ξυναλλαγῆναι.* Eo haec narratio recedit a Lysia, quod quos Xenophon missos a civibus dicit, hi secundum Lysiam sponte se intra moenia contulerunt. Finxerant se velle oppugnare, quo melius ipsis praesentibus res componeretur. In Scheibi coniectura *ἐπολιόρκουν τοὺς μεθ' αὑτῶν* obscurum quodammodo est illud *τοὺς μ. α.,* quo significantur non qui eorum factionis *erant* sed *olim fuerant.*

§ 10. Mira consecutio temporum est: *ὑμᾶς οὖν χρὴ ἐκ τούτων δοκιμάζειν τοὺς πολίτας, σκοποῦντας μὲν ὅπως ἦσαν ἐν τῇ δημοκρατίᾳ πεπολιτευμένοι, ζητοῦντας δ' ἥτις αὐτοῖς ἐγίγνετο ὠφέλεια τῶν πραγμάτων μεταπεσόντων.* Recte diceretur *ὁποῖοι ἦσαν — πολιτευόμενοι*, sed plusquamperfecti nullam rationem video. Fortasse scribendum: *χρῆν*. Vulgaris ratio est *χρῆν σκοπεῖν, ὅπως εἰσὶ π.* aut *εἶεν π.* Sed haec saepius neglegitur, pro praesenti post verbum praeteriti temporis imperfecto substituto. Cf. *κατ' Ἀγορ.* (13) 41: *περὶ Ἀγοράτου τουτουῒ ἔλεγον, ὅτι αἴτιος ἦν τοῦ θανάτου.* Xen. Hell. III. 2. 6: *ἐπιστεῖλαι δὲ τοὺς ἐφόρους εἰπεῖν, ὡς, — ὅτι νῦν οὐδὲν ἠδίκουν* (pro *ἀδικοῦσι*) *ἐπαινοῖεν.* CP. III. 3. 9: *κατανοῶν ὁ Κῦρος ὡς εὖ αὐτῷ εἶχον* (pro *ἔχουσι*) *τὰ σώμαθ' οἱ στρατιῶται — ἐπεθύμει.* (Lys.) *ὑπὲρ Πολυστρ.* (20). 24: *ὥστ' εἰδέναι τοὺς ἱππέας οἷος ἦν* (vel *ἦ* pro *εἰμί* vel *εἴην*) *τὴν ψυχήν.* Thuc. VI. 1. Alia videsis in gramm. § 57. A. 45. Sententiae pendentis a *χρῆν* aut *ἔδει*, in quo imperfectum (plqperf.) pro praesenti (perf.) usurpetur, non habeo exemplum, sed in secundario tamen membro sententiae pendentis imperfectum usurpatur ut Dem. 8. 1: *Ἔδει μὲν τοὺς λέγοντας ἅπαντας μήτε πρὸς ἔχθραν ποιεῖσθαι λόγον μηδένα μήτε πρὸς χάριν, ἀλλ' ὃ βέλτιστον ἕκαστος ἡγεῖτο, τοῦτ' ἀποφαίνεσθαι.* Enucleate de his Madvig, Bem. p. 17, sq. et 14. — Quod sequitur imperfectum *ἐγίγνετο* mansit ex oratione recta; malim tamen *ἐγένετο* („quod „emolumentum *perceperint*, quum res conversae essent").

§ 11. *ἐγὼ τοίνυν ἡγοῦμαι, ὅσοι μὲν ἐν τῇ δημοκρατίᾳ ἄτιμοι ἦσαν εὐθύνας δεδωκότες ἢ τῶν ὄντων ἀπεστερημένοι ἢ ἄλλῃ τινὶ συμφορᾷ τοιαύτῃ κεχρημένοι.* Nemo non haec primo legens iunget *δεδωκότες ἢ ἀπεστερημένοι ἢ κεχρημένοι.* Sed iungenda sunt *ἄτιμοι ἢ ἀπ. ἢ κεχρ.*, ut sententia docet; nam *ἄτιμοι ἦσαν* explicatur primo participio *δεδ.*, non item reliquis. Ego *εὐθύνας δεδωκότες* eiicienda censeo, utpote interpretis cuiusdam annotatamentum ex margine petitum; addidit ad *ἄτιμοι*: *ἤγουν εὐθύνας δεδωκότες, in rationibus dandis.* Et nemo fere inter recentiores editores haec verba intacta

praetermisit. De *ὀφείλεται δ' αὐτοῖς* cf. ad 13. 63. — Tum legendum *τὰς περὶ τούτων ἀποδ.* „non vobis dignum est de „his [qui ante descripti sunt verbis *ὅσοι — πεπραγμένων*] „calumnias audire." Male vincta est oratio nisi *ὅσοι* habet, quo referatur. Compendium praepositionis *περί* (Π supra scripto ε) ante Τ excidisse videtur. *Ὑποδέχεσθαι*, quod Pal. habet ineptum esse, omnes viderunt.

§ 13. *καίτοι*. Dobreus: „*quamquam*. Imo *καί*. — Non op„positio, sed continuatio." Non assentior. Multa, inquit, in civitatem contuli beneficia. Et tamen (s. at vero) hoc feci ut meliore loco apud vos essem, non praesentis emolumenti aut honoris causa. Similem explicationem habet idem vocabulum § 14 sub fin.: adversarii non contendent me sub triginta viris munere functum; *et tamen* eo fatebuntur me honore dignum, se mendaces esse. Cf. etiam § 16 *καίτοι εἰ τοῖς*. In superioribus sequor Marklandum cum Scheibio; post *οὔτε τῶν τετρακοσίων ἐγενόμην* abrumpitur oratio per interrogationem; tum pro altero *οὔτε* mutata structura: *οὐ τοίνυν οὐδ' ἐπειδὴ οἱ τριάκοντα* (pro ΟΙΔΕ i. e. ΟΙΛ', *οἱ λ'*) *κατέστησαν, κ. τ. ἑ.*

§ 19. *ἔνιοι δ' ἐπὶ τοῖς ὑμετέροις ἐδωροδόκουν*. Dobreus contulit 29. 11: *Ἐργοκλεῖ συνειδὼς κλέπτοντι καὶ ἐπὶ τοῖς ὑμετέροις δωροδοκοῦντι*. Quare *κακοῖς* non addendum opinor. *Ἐπί* significat illud, quo tanquam pignore interposito aliquid nanciscimur; vestra bona in discrimen dabant, ut per haec lucrarentur, qua vi *ἐπί* est in *δανείζειν* et *δανείζεσθαι ἐπὶ ὑποθήκῃ, ἐπὶ τῇ νηΐ, δοῦναι ἐπ' ἐνεχύρῳ*.

§ 22. *ἐπειδὴ δὲ πυνθάνοισθε, τοὺς μὲν τρισχιλίους στασιάζοντας —, πλείους δ' ὄντας τοὺς ὑπὲρ ἡμῶν δεδιότας ἢ τοὺς ὑμῖν πολεμοῦντας, τοτ' ἤδη — προσεδοκᾶτε.* Pro *δὲ πυνθάνοισθε* necessarium videtur *δ' ἐπυνθάνεσθε*. Non enim ut in praegressis agitur de actione repetita (*ὅτε ἀκούοιτε*, quum, quoties, audiebatis) sed uno momento. Tum aliquanto melius Palat. *τοὺς ὑπὲρ ὑμῶν δεδιότας*. Nam si voluisset Lysias: plures esse inter nos, qui sibi timerent, scripsisset opinor: *πλείους δ' ὄντας ἡμῶν τοὺς ὑπὲρ αὐτῶν δεδιότας*, aut certe

ὑπὲρ αὐτῶν. Hoc voluit Dobreus, iure vulgatam obscuram et ambiguam dicens. Sed ὑπὲρ ὑμῶν commodam praebet sententiam; erant enim in urbe, qui taciti sperarent, fore ut adversarii vincerent. Omnis oppositionis vis est in δεδιότας et πολεμοῦντας. Saepius in hac oratione opponuntur ἡμεῖς (= οἱ ἐν ἄστει μείναντες) et ὑμεῖς (= οἱ φεύγοντες) ut § 21. Veruntamen eo neque hic locus (§ 21), neque § 13 satis defenditur, ubi non video, quid melius faciam, quam ut Dobreo obtemperem et scribam παρ' αὐτῶν πίστιν εἰληφότες, pro παρ' ἡμῶν. Et superiore sectione (21) melius esset τὴν αὐτὴν κατελθόντες περὶ ἡμῶν γνώμην ἔχετε, ἥνπερ φεύγοντες περὶ ὑμῶν αὐτῶν [εἴχετε] quam quod nunc legitur περὶ αὐτῶν, relatum ad ἑτέρους. In fine paragraphi: ἡγούμενοι διὰ τὴν τῶν τριάκοντα πονηρίαν πολὺ μᾶλλον σωθήσεσθαι ἢ διὰ τὴν τῶν φευγόντων δύναμιν κατιέναι numeri oratorii postulant, ut κατιέναι retineatur. Et σωθήσεσθαι habet multo latiorem significationem quam κατιέναι. Nihil enim est quod cogat, ut σωθήσεσθαι tantummodo de reditu in patriam interpretemur, quod tum demum necessarium esset, si οἴκαδε, δεῦρο vel simile quid additum esset; sed conplectitur simul ea bona quae ex patria in integrum restituta proventura erant. Mirifice frigent ἢ διὰ τὴν τῶν φευγόντων δύναμιν omisso κατιέναι in fine sententiae posita. Et conferas paulo post (23) πυνθάνεσθαι μὲν — αἰσθάνεσθαι δέ, ubi est eadem rhetorica ubertas. Cf. 16. 13. Nec fortuitum puto sectione 24 sub fin. τὴν γὰρ τούτων πονηρίαν ἑαυτῶν ἡγοῦνται σωτηρίαν et § 23 σωτηρίαν — τιμωρίαν. Cf. infra ad orat. 30 (Nicomacheam).

§ 23. Οὐδὲν γὰρ ἂν εἴη αὐτοῖς χαλεπώτερον τούτων, ἢ πυνθάνεσθαι μέν, κ. τ. ἑ. Minime assentior Dobreo ἢ eiicienti, quae constructio mihi pedestri orationi abiudicanda videtur. Plat. Gorg. p. 519. D: καὶ τούτου τοῦ λόγου τί ἂν ἀδικώτερον εἴη πρᾶγμα, ἀνθρώπους ἀγαθοὺς καὶ δικαίους γενομένους — ἀδικεῖν τούτῳ ᾧ οὐκ ἔχουσιν; accusativus cum infinitivo per epexegesin additus suspensus est ex λόγου, vocabulo dicendi. Reliqua exempla sunt poetarum Eur. Alc. 899: τί γὰρ ἀνδρὶ κακὸν

*μεῖζον, ἁμαρτεῖν πιστῆς ἀλόχου;* et Aesch. Ag. 601: *τί γὰρ γυναικὶ τούτου φέγγος ἥδιον δρακεῖν, ἀπὸ στρατείας ἄνδρα σωσάντος θεοῦ πύλας ἀνοῖξαι;* ubi qui nuper edidit Agamemnonem (Aeschylos Ag. Gr. u. Deutsch von K. H. Keck, Lips. 1863) dedit *ἀνοίξω;* sed *φέγγος lux, gaudium* est, non *dies*. Cum Lysiae loco cf. 2. 73: *τί γὰρ ἂν τούτων ἀνιαρότερον γένοιτο, ἢ τεκεῖν μὲν καὶ θρέψαι, κ. τ. ἑ.* 10. 28: *τί γὰρ ἂν τούτου ἀνιαρότερον γένοιτ' αὐτῷ, ἢ τεθνάναι μὲν ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν, κ. τ. ἑ.* Plat. Crit. 44. C.: *τίς ἂν αἰσχίων εἴη ταύτης δόξα ἢ δοκεῖν χρήματα περὶ πλείονος ποιεῖσθαι ἢ φίλους;* Eur. Heracl. 297: *οὐκ ἔστι τοῦδε παισὶ κάλλιον γέρας, ἢ πατρὸς ἐσθλοῦ κἀγαθοῦ πεφυκέναι.* (Bremius ad h. l. et Herm. ad Soph. Ant. 1077 de hac constructione laudant Faesium in Seebodi Misc. Crit. Vol. II, parte IV. p. 707, quo libro uti mihi non licuit). Sed nullo loco iuxta posita sunt demonstrativum et *ἤ*, sed ubique *τούτου, ταύτης* praeparant quasi alterum membrum comparationis, quod aliquot vocabulis intermissis demum sequitur. Hoc loco *τούτων* (pro quo praeterea exspectes *τούτου*) abundat et omittendum est.

§ 26. *καὶ οὐ πρότερον ἐπαύσαντο (συκοφαντοῦντες) ἕως τὴν μὲν πόλιν εἰς στάσεις καὶ τὰς μεγίστας* (num *στ. τ. μ. καὶ*?) *συμφορὰς κατέστησαν, αὐτοὶ δ' ἐκ πενήτων πλούσιοι ἐγένοντο, ὑμεῖς δ' οὕτω διετέθητε.* Sic distinguendum, ut etiam *ὑμεῖς δ' οὕτω διετέθητε* ab *ἕως* pendeant; non enim quomodo interim affecti fuissent Athenienses, sed quo tandem opera istorum redacti essent, in sequentibus describit. *Τοὺς μὲν* (*γάρ* fort. add.) *φεύγοντας κατεδέξασθε, τοὺς δ' ἀτίμους ἐπιτίμους ἐποιήσατε, τοῖς δ' ἄλλοις περὶ ὁμονοίας ὅρκους ὤμνυτε.* Agitur his, ut recte demonstrat Rauchenstein., de condicione Athenarum, qualis erat in obsidione, ante triginta viros institutos. Cf. Xen. Hell. II. 2. 11, And. 1. 73. Eo recedit Lysias ab his, quod exsules restitutos tum dicit, quod secundum Xenophontem II. 2. 23 et Andocidem § 80 factum demum est a Lysandro; sed decretum quidem eiusmodi factum esse, cui tamen ab exsulibus (oligarchis) non obtem-

peratum sit, non improbabile est. Sed quaeritur qui sint *οἱ ἄλλοι*. Fortasse scribendum *καὶ τοὺς ἄλλους* i. e. *et praeterea*. Centies apud Platonem sic *ἄλλος* usurpatur ut *ὑπὸ τῶν πολιτῶν καὶ τῶν ἄλλων ξένων, ὑπὸ λιμοῦ καὶ τῆς ἄλλης ἀργίας, δημηγοριῶν καὶ τῶν ἄλλων ἀρχῶν* et alia, de quibus multi egerunt; copiosius Ast. ad Plat. Phaedr. p. 241, Stallb. ad Phileb. p. 36. D. Sed etiam praeter Platonem alii scriptores et poetae velut Soph. O. T. 7, Eur. Med. 291, Xen. CP. III. 3. 34, 2. 18, al. Lys. 7. 25: *ὥσπερ καὶ τὴν πατρίδα καὶ τὴν ἄλλην οὐσίαν* et 32: *οὔτ' ἂν περὶ φυγῆς οὔτ' ἂν περὶ τῆς ἄλλης οὐσίας ἠγωνιζόμην*. 26. 9: *ἥ τε πολιτεία καὶ τὸ ἄλλο πλῆθος τὸ ὑμέτερον σώζεται*. 15. 1: *τῶν στρατηγῶν δέομαι, ἐπεὶ καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ ἀρχῇ πολλοῦ ἄξιοι τῇ πόλει γεγόνασι, καὶ περὶ τῶν τῆς ἀστρατείας γραφῶν κοινοὺς εἶναι*. Add. 1. 4. Per hanc iuncturam significatur uno quidem nomine res ceteroquin diversas inter se similes fuisse, et apte cum promissione veniae et *ἀμνηστίας* exulibus et infamibus data per *ἄλλος* copulatur illud notum iusiurandum (cf. And. l. l.) quod similiter conciliatione vires obsessorum aucturum erat.

§ 28. *πολλάκις ἤδη τῷ ὑμετέρῳ πλήθει διεκελεύσαντο* (sic egregie Taylor. pro *διελύσαντο*) *τοῖς ὅρκοις καὶ ταῖς συνθήκαις ἐμμένειν· — τοῖς μὲν γὰρ ἐξ ἄστεος ὑπὲρ τῶν παρεληλυθότων ἄδειαν ποιήσειν, τοῖς δ' ἐκ Πειραιῶς οὕτω πλεῖστον χρόνον τὴν πολιτείαν ἂν παραμεῖναι*. Igitur exules soli (*οἱ ἐκ Πειραιῶς*) libera fruebantur civitate? An *πολιτεία* est civitatis administratio? Verum haec non erat *τῶν ἐκ Πειραιῶς*, sed omnium promiscue; idque summopere cavere vult orator ne hi soli rempublicam teneant; cf. § 23. Vide num exciderit aliquid post *οὕτω*, tale quid *τοῖς δ' ἐκ Π. οὕτω πλείστην τιμὴν προςγενήσεσθαι καὶ πλεῖστον χρόνον κ. τ. ἑ.* — Ceterum ex verbis *πολλάκις ἤδη* apparet iam saepius similes causas dictas fuisse post libertatem restitutam, quod ad tempus orationis habitae constituendum non neglegendum. Reliqua temporis indicia in oratione (cf. maxime § 23 et 24)

non prohibent quominus anno uno duobusve post triginta viros compositam putemus.

§ 33. *καὶ δέξαιντ' ἂν* (sermo est de delatoribus) *μικρὰν εἶναι τὴν πόλιν μᾶλλον ἢ δι' ἄλλους μεγάλην καὶ ἐλευθέραν, ἡγούμενοι νῦν μὲν διὰ τοὺς [τῶν] ἐκ Πειραιῶς [κινδύνους] αὐτοῖς ἐξεῖναι ποιεῖν ὅ τι ἂν βούλωνται, ἐὰν δ' ὕστερον ὑμῖν δι' ἑτέρους σωτηρία γένηται, τούτους μὲν ἐπιλύσασθαι, ἐκείνους δὲ μεῖζον δυνήσεσθαι.* Locus unus omnium difficillimus; in quo frustra fortasse opera consumitur; sed quum sententia pelluceat, vix te contineas a tentanda emendatione. Nam quum opposita sint *τούτους* et *ἐκείνους*, hoc posterius autem ad liberatores qui fortasse futuri essent referatur, *τούτους* non ad alios respicere potest quam eos qui subiectum sententiae efficiunt, delatores. Porro quum de alteris dicatur *μεῖζον δυνήσεσθαι*, non *μέγα*, intellegitur oppositum non esse: ***nihil posse*** aut *interire*, sed ***parum valere***, ***veniam invenire***, ***impune*** *esse*. In hanc sententiam locum refingendum puto. In *ἐπιλύσεσθαι* latere mihi videtur *ἐπιλήσεσθαι*, ut legendum sit *ἐὰν δ' ὕστερον ὑμῖν δι' ἑτέρους σωτηρία γένηται, τούτων μὲν ὑμᾶς ἐπιλήσεσθαι, ἐκείνους δὲ μεῖζον δυνήσεσθαι*, „sin postea vobis salus per alios nascatur, horum (delatorum, „*δεικτικῶς*) quidem vos facile oblituros, nihilominus tamen „(quamvis sint impune) alteros illos potentia ipsos esse su- „peraturos." Ita strictim exprobrat Atheniensibus, quod nimis faciles sint ad ignoscendum. — *Οὗτος* saepius de adversario dicitur, cuius mentio praecedit, ubi *αὐτός* vel *ἑαυτοῦ* exspectes. Cf. 3. 11: *οὗτος δ' αἰσθόμενος εὐθέως ἥκοντα τὸν Θεόδοτον καὶ διατρίβοντα παρὰ Λυσιμάχῳ ὃς ᾤκει πλησίον τῆς οἰκίας, ἧς οὗτος ἐμεμίσθωτο, παρεκάλεσέ τινας τῶν τούτου ἐπιτηδείων.* Ib. 28: *λέγει δ' ὡς ἡμεῖς ἤλθομεν ἐπὶ τὴν οἰκίαν τὴν τούτου ὄστρακον ἔχοντες.* 14. 31: *καίτοι σφόδρα εἴθισται λέγειν, ὡς οὐκ εἰκός ἐστι τὸν μὲν πατέρα αὐτοῦ κατελθόντα δωρεὰς παρὰ τοῦ δήμου λαβεῖν, τοῦτον δ' ἀδίκως διὰ τὴν φυγὴν τὴν ἐκείνου διαβεβλῆσθαι.* 13. 77: *καίτοι πῶς ἂν γένοιτ' ἄνθρωπος μιαρώτερος, ὅστις εἰδὼς ὅτι εἰσί τινες ἐπὶ Φυλῇ τῶν ὑπὸ*

τούτου ἐκπεπτωκότων ἐτόλμησεν ἐλθεῖν ὡς τούτους. 12. 34: πᾶν δ' ἂν μοι δοκεῖ τολμῆσαι ὅστις — νυνὶ ἥκει ἀπολογησόμενος πρὸς αὐτοὺς τοὺς μάρτυρας τῆς τούτου πονηρίας, quem locum olim frustra sollicitavi; nam haec omnia cum Dobreo corrigere temerarium videtur, ac si quid duri in illo usu est, lenitur hoc loco oppositione cum praemisso δι' ἑτέρους. — Subiectum ὑμᾶς abesse non potest propter ἐκείνους. Ceterum Reisk. coniecit pro ἐπιλ.: ἐπηλυγάσεσθαι, quod refutat Dobreus; Sauppius ὑποδύσεσθαι, quod etiam post Rauchensteini explicationem non satis perspicuum puto; Herwerdenus: καταλύσεσθαι, quod secundum ea quae supra de oppositione cum μεῖζον δύνασθαι dixi, mihi non probabile videtur. — Quae sequuntur non minus corrupta sunt ὥστε τὸ αὐτὸ πάντες ἐμποδὼν εἰσιν, ἐάν τι δι' ἄλλων ἀγαθὸν ὑμῖν φαίνηται. Sententiae satisfacit Kayseri τοῦτ' αὐτὸ δείσαντες. Conieceram συκοφαντοῦντες pro αυτοπαντες, omisso τό, quod certe propius ad librorum lectionem accedit.

§ 35. In fine non multa deesse videntur, nam praeter hanc sententiam: „nobis hanc rempublicam invisam feceritis, vestram ipsi imminueritis potestatem," nihil fere quod desiderari possit superesse videtur. In ὑπο . . . latet ὑποψίαν. Scribi potuit e. g.: ἡμᾶς εἰς ὑπο[ψίαν καταστήσετε ὑμῖν δ' αἴσχιστα βουλεύσεσθε· ἐὰν δὲ τἀναντία, βοηθήσετε καὶ τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις καὶ τοῖς ὅρκοις, οἷς ὀμωμόκατε.] Cf. finem or. 10 et 13.

Capita accusationis in oratione non diserte indicantur, nec de reo quidquam apparet, nisi fuisse civem bonum, qui sub triginta viris urbem non reliquisset; neque aliud quidquam ei obiectum fuisse videtur, quam quod non fuisset acer popularis regiminis propugnator, nullarum potius partium vir quam turbator civitatis. Itaque conqueritur de accusatoribus, qui speciem libertatis defendendae prae se ferant, ut insontibus quorum bonis ditescant, accusationem intentent. Quum tamen, quod in urbe remansisset sub triginta viris vix iusta accusatio dici possit, acute coniecit Rauchenstein.

coll. §§ 3, 10, 23 hanc orationem in *δοκιμασίᾳ* fuisse habitam, et accusatores prodiisse eos ipsos, quorum impndentiam in tota democratia § 25 sqq. perstringat orator: Epigenem, Demophanem, Clisthenem. Omissis enim reliquorum demagogorum nominibus, hos solos insectatur, quamvis obscuri ceteroquin essent. Nam de Clisthene tantum possit ambigi sitne famosus ille pathicus, quem saepius perstringat Aristophanes (iam in Acharn. 118; cf. Cratin fr. 193, schol. Ar. Ran. 48), Epigenes certe et Demophanes ignoti. Peculiaris igitur causa fuisse videtur, cur hos potissimum eligeret. Itaque quae § 29 leguntur: *οἷς ὑμεῖς πολὺ ἂν δικαιότερον πιστεύοιτ' ἢ τούτοις, οἳ φεύγοντες μὲν* (sub XXX) *δι' ἑτέρους ἐσώθησαν, κατελθόντες δὲ συκοφαντεῖν ἐπιχειροῦσιν*, eosdem illos viros, paulo ante (§ 25) memoratos, nunc accusatores respicere videntur.

Iure Reiskius, defensio, inquit, egregia, luculenta, Lysiae nomine dignissima. Dobreo videbatur haec oratio omnium Lysiacarum optima. „Si scripsit, addit idem, male „de se Lysias iudicavit, qui tenue genus sequeretur, quum „grandis et copiosus esse posset. Pauca sunt, quae quidem „adhuc legerim, hoc fragmento splendidiora." Vix puto serio de auctore dubitare Dobreum, nam alibi quoque Lysiae oratio insurgit nervosque habet, ut in or. *decima* (adv. Theomnestum) et *duodecima* (de caede Eratosth.); de quo verissime Cicero iudicat. In reliquis autem Dobreus et Rauchenstein. (in prooemio) me dissentientem non habebunt. Tantum velim attendi, si summa ars sit artem dissimulavisse, summa hic videri consecutum oratorem, qui nullo ornatu sententiarum, nullis lenociniis verborum, nulla inepta commiseratione nos tam longo temporis intervallo ab ipso separatos tam potenter possit commovere.

Rerum dispositio admodum simplex est. Accusatores isti, inquit, exaggerant delicta eorum, qui sub triginta viris in urbe remanserunt. Equidem ut nullum mihi arrogo beneficium in vos collatum, ita hoc peto, ut nihil videar in vos

commisisse (1—4). Et accusatores quidem tantum abest ut me iure possint accusare, ut quae triginta viri commiserint, criminum inopia in me congerant, quasi vero eo me paucorum imperio favere demonstrare possint (—6). At quos tandem oportet oligarchiae fautores dicere? Natura quidem nemo eam voluntatem habet; sed quod cuique conducit, id quisque sequitur regimen; unde multi, prout utilitas suadere videbatur, partes mutaverunt (—10). Ad hanc igitur normam exigere vos oportet, quibus partibus singuli annumerandi sint (—12). Ego quidem, dum populare regimen stabat, nullam patiebar calamitatem; gratiam contra apud vos inibam, cuius fructu per oligarchiam privatus sum, quum quadringenti et triginta viri nullam nostri fiduciam haberent (—14); in oligarchia nullum probrum commisi ut multi alii (—17). Itaque dum populus imperabat bene feci; dum pauci, nihil mali. Nec iure mihi obfuerit, quod a triginta viris nihil passus sum (18). Quorum improbitatis non oportet vos a me poenas repetere; sed quemadmodum iniuria vobis videbantur isti promiscue in noxios et insontes saevire, ne nunc quidem universis vitio date, quae paucorum delicta sunt (—20). Et vero quantum esset malum discordia in civitate, ipsi olim recte iudicavistis, quum intellegeretis oligarchorum dissensionem, qua civitas debilitaretur, maximam vobis reditus spem afferre; nunc igitur vobis ipsis nihil gravius, nihil utilius adversariis committere possetis, quam ut suspiciones et discidia in civitate aleretis (—24). Revocate in memoriam, quae subdoli populi fautores commiserint; bis demagogi democratiae nomen odiosum fecerunt; quare mirum vos nunc rursus velle servire istis, qui suae student auctoritati, et quorum perfidiam iam saepius estis experti (—30). Vos nunc putatis democratiam esse, sed facitis quae istis conducunt, quibus nihil antiquius est, quam ut eos, qui melius vestro prospicerent commodo, delationibus suis absterreant, ne ipsi a rerum administratione excludantur. Vos melioribus aurem praebentes (28) foedera observate et

veniam date; sin minus, ferendum fortasse fuerit, noxios etiam nunc puniri, non ferendum, vos promiscue omnes laedere, qui in urbe manserint.

Apparet ex his, nec inventione nec argumentorum dispositione magnopere hanc orationem reliquis excellere. Et causa erat ita simplex et aperta, ut magno acumine non opus esset, singula quasi sponte profluunt ex aequitate et utilitate publica. Quod si quaerimus, quid sit quod lectorem tantopere teneat, sententiarum, opinor, veritas est et admonitionis prudentia. Ex reliquis causis, quas tractavit Lysias, multae sunt futiles. Ad eas obtinendas saepe argumenta erant promenda arguta et contorta, quae lectores quidem non facile ad assensum cogant, quamvis artificiosa; haec oratio omnes habet numeros veritatis; suam ipse sententiam Lysias eloquitur; verae est indignationis, intimae ubique persuasionis plena. Nec tantum suam causam propugnat reus sed communem civium salutem. Omnino in hac oratione nobis datur, quod in plerisque aliis negatur, ut de universae argumentationis vi et efficacia possimus iudicare. Et videre licet, quanto magis nobis placuisset Lysias, si saepius graviora argumenta illi pertractanda fuissent, et tenuitatem dicendi, quae subinde nimia videatur, non imperitiae oratoris deberi, sed ex argumenti tenuitate esse repetendam.

Agnosco igitur non tam maiorem artem, quam maiorem veritatem et dicentis dignitatem, natam ex utilitatis publicae perspicientia et studio rei publicae. Ex quo studio etiam facile explicatur quod eandem sententiam parum mutatam subinde repetit (Cf. 14 et 16, 5 et 18 sub fin., 6 sub fin. et 24 et 32 sub f.).

## XXVI. ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΕΥΑΝΔΡΟΥ ΔΟΚΙΜΑΣΙΑΣ.

§ 1. *σύνοισθα πολλὰ καὶ δεινὰ εἰς αὐτοὺς ἐξημαρτηκώς, ὧν ἐπιλελῆσθαι καὶ οὐδ' ἀναμνησθήσεσθαι ἐνίους αὐτῶν νομίζεις.* Parum intererat Evandri, unum et alterum (*ἐνίους*) memoriam

culpae ipsius deposuisse; nisi omnes aut plerique certe obliti essent, non poterat impunitatem sperare. Melius igitur scripsisset *ὧν ἐπιλελῆσθαι αὐτούς, καὶ οὐδ' ἀναμνησθήσεσθαι ἐνίους νομίζεις*. Oblitos putabat iudices sceleris, quosdam etiam sic memoriam eius maleficii deposuisse, ut ne moniti quidem factum recordaturi essent. Hi posteriores negaturi erant de Evandri culpa vera referre oratorem. Cum delectu positum est *ἀναμιμν.*, ratione habita compositionis (*ἀνα-*).

*εἰ ταύτῃ τῇ ἐλπίδι εἰς ὑμᾶς ἥκει πιστεύων, ὥσπερ ἄλλων μέν τινων ὄντων τῶν ἠδικημένων, ἑτέρων δὲ τῶν ταῦτα διαψηφιουμένων, ἀλλ' οὐκ ἀμφότερα τῶν αὐτῶν καὶ πεπονθότων καὶ ἀκουσομένων*. De *ἄλλος μέν* —, *ἕτερος δέ* — cf. Plat. Rpbl. IV. 439. B: *ἄλλη μὲν ἡ ἀπωθοῦσα χείρ, ἑτέρα δ' ἡ προςαγομένη*. Alia Stallb. ad Soph. 224. D. In proximis *ἀμφότερα* non est obiectum verborum *πεπ.* et *ἀκουσ.*, sed accusativus adverbii fere naturam induit *(simul)* ut apud Isocr. 8. 139: *ὅταν ὁρῶσι τοὺς αὐτοὺς ἀμφότερα καὶ δικαιοτάτους ὄντας καὶ μεγίστην δύναμιν κεκτημένους*.

§ 2. Isti, inquit, vos olim urbe eiecerunt, vos nunc non tantum in civitatem istos recepistis, sed etiam ad iudicia et deliberationem de re publica admittitis, *ὥστε εἰκότως ὑμῶν ταύτην τὴν εὐήθειαν καταγιγνώσκουσιν*. Apte, nisi fallor, haec verba dicerentur, si de *εὐηθείᾳ* constaret, sed quaereretur cui illa adscribenda esset; de dementia enim tanquam de re, quae in confesso sit (*ταύτην τήν*), sermo est. Conveniebat tamen loco dicere esse hanc dementiam appellandam, iure talibus hominibus dementiam posse obiici. Ea sententia exsistet omissis verbis *ταύτην τήν*.

§ 3. *καὶ νυνὶ αὐτὸν ἀκούω — λέξειν ὡς πολλὰ οἱ πρόγονοι εἰς τὴν πόλιν ἀνηλώκασι καὶ φιλοτίμως λελειτουργήκασι, καὶ νίκας πολλὰς καὶ καλὰς ἐν δημοκρατίᾳ νενικήκασι, καὶ ὅτι αὐτὸς κόσμιός ἐστι, καὶ οὐχ ὁρᾶται ποιῶν κ. τ. ἑ.* Verba *οἱ πρόγονοι* in MSS. desunt; tamen si diligenter attendamus oppositum *αὐτός* dubium esse non potest, quin hoc vel simile quid omissum sit. Iam Taylorus de eo monuit, sed recentiores

non obsecundarunt. Pro ἀκούω libri habent ἀκούομεν; ex constanti usu Lysiae singularis requiritur. Scheibius ἀκούω μέν. Sic vero μέν suo loco divellitur.

§ 6. Ἂν δὲ καὶ ἐπὶ τοιόνδε λόγον τράπωνται, ὡς ὁ χρόνος οὐκ ἐγχωρεῖ ἄλλον ἀποκληρῶσαι —, τάδ' ἐνθυμήθητε, ὅτι πάλαι ὁ χρόνος ἤδη παρελήλυθεν. Quod ab adversario obiicitur, tempus non sufficere ad alium archontem pro Evandro creandum, id non statim refellitur ab oratore sed prius ab hoc argumento quod ἐκ τοῦ ἀδυνάτου petebatur, avertit animos ad iram contra Evandrum; sectione demum 8, quomodo possit huic difficultati occurri dicit, πότερον εὐσ., κ. τ. ἑ.

Pergit orator: ἡ γὰρ αὔριον ἡμέρα μόνη λοιπὴ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐστιν, ἐν δὲ ταύτῃ τῷ Διὶ τῷ σωτῆρι θυσία γίγνεται, δικαστήριον δὲ παρὰ τοὺς νόμους ἀδύνατον πληρωθῆναι. Apparet ex hoc loco docimasiam archontum priorem in senatu habitam esse, alteram in iudicio hoc tempore non necessariam fuisse. Putabat enim Evander etiam sine probatione iudicum posse se archontis munus suscipere nec thesmothetas probabile est aliud statuisse, qui scirent ultimum anni diem festum esse et ἀφετόν, et tamen penultimo demum ad probationem senatum convocassent. Fallitur Hermannus Antiq. § 148. 12, dicens alteram archontum probationem in senatu habitam fuisse. Ne dicam de vocabulo δικαστήριον — quod possit coll. 31. 1 ἐγὼ (senator cf. § 1) δ' ὀμόσας εἰςῆλθον εἰς τὸ δικαστήριον τὰ βέλτιστα συμβουλεύσειν τῇ πόλει cum aliqua probabilitate de senatu intellegi — diserte contrarium refert Dem. Lept. (20). 90: οὐ γὰρ ᾤετο ὁ Σόλων — τοὺς μὲν θεσμοθέτας — δὶς δοκιμασθέντας ἄρχειν, ἔν τε τῇ βουλῇ καὶ παρ' ὑμῖν ἐν τῷ δικαστηρίῳ, τοὺς δὲ νόμους αὐτούς, κ. τ. ἑ. Tum demum, si non probandus videretur senatui archon, ad heliaeam, cui praeerant thesmothetae, res deferebatur, ut recte statuunt Meierus et Schoemannus, Proc. p. 204, sq. — Pro πληρωθῆναι Marklandus et Dobreus κληρωθῆναι. Sed cf. Dem. Timocr. (24.) 58: τὰ δικαστήρια, ἃ δημοκρατουμένης τῆς πόλεως ἐκ τῶν ὀμωμοκότων πληροῦται. Ib. 92: οὐκοῦν ταῦθ' ὅπως

γίγνηται, δικαστήρια πληροῦτε καὶ καταγιγνώσκετε δεσμὸν τῶν ἀκοσμούντων. Mid. (21.) 209: εἴ τις ὑμῶν — εἰς δικαστήριον εἰςίοι πεπληρωμένον ἐκ τούτων. Dobreus praeterea κατὰ τοὺς νόμους οὐ δυνατόν. Sed sententia est: iudicium autem contra leges convocari plane non potest. Notum erat, hoc iudicium legibus contrarium futurum esse, neque diserte erat addendum, sed utpote de re nota δικαστήριον παρὰ τοὺς νόμους appellat.

In iis quae proxime sequuntur: εἰ δὲ ταῦτα πάνθ' οὗτος ὥστε γενέσθαι διαπέπρακται, τί προςδοκῆσαι δεῖ δοκιμασθέντ' αὐτὸν ποιήσειν, εἰ τὴν ἐξιοῦσαν ἀρχὴν πέπεικεν αὐτοῦ ἕνεκα παρανομῆσαι; Dobreo non assentior locum ad hunc ferme modum supplenti: διαπέπρακται κολαστέος μᾶλλον ἢ τιμητέος. ἢ τό προσδ. Locus est ex eo genere, in quo protasis condicionalis per alteram subsequentem declaratur; quod erat in priore protasi summatim indicatum, per alterum membrum condicionale fusius describitur. Cf. Dem. de Cor. (18) 217: εἰ μὲν γὰρ παρῆν καὶ μετὰ τῶν ἄλλων ἐξητάζετο, πῶς οὐ δεινὰ ποιεῖ, μᾶλλον δ' οὐδ' ὅσια, εἰ ὧν ὡς ἀρίστων αὐτὸς τοὺς θεοὺς ἐποιήσατο μάρτυρας, ταῦθ' ὡς οὐκ ἄριστα νῦν ὑμᾶς ἀξιοῖ ψηφίσασθαι; quem locum ad 14. 13 ubi ratione parum diversa ἐάν duplicatur affert Scheib.; reliqua autem minus apposita sunt. Sed ex Platone conferri possunt Phaed. 67. E, Apol. 20. C. Duae sententiae obiectivae per ὅτι, quarum altera praeponitur verbo, altera sequitur sunt Symp. 186. A. Sed otiosa sunt verba ὥστε γενέσθαι, et debilis est oppositio. Scripserim: εἰ δὲ ταῦτα πάνθ' οὗτος [ὥστε γενέσθαι] ἰδίᾳ διαπέπρακται. Excidit ΙΔΙΑ ante ΔΙΑ.

§ 9. δεινὸν εἶναι, εἰ δι' οὓς ἡ δημοκρατία κατελύετο, οὗτοι ἐν αὐτῇ [τῇ πολιτείᾳ] πάλιν ἄρξουσιν. Assentior Bekkero τῇ πολιτείᾳ secludenti.

τῆς πόλεως, ἣν πρότερον παραλαβόντες οὕτως αἰσχρῶς καὶ δεινῶς ἐλωβήσαντο. Excidit aliquid ante παραλαβόντες, veluti μεγάλην καὶ ὀνομαστήν vel simile quid; nam sine iis supervacaneum est παραλαβόντες.

§ 10. εἰ μὲν δὴ βουλεύσων νυνὶ ἐδοκιμάζετο καὶ ὡς ἱππευ-

*κότος αὐτοῦ ἐπὶ τῶν τριάκοντα ὄνομα* (sic Schottus pro *ἅρμα*, quod frustra defendit Dobreus) *ἐν ταῖς σανίσιν ἐνεγέγραπτο, καὶ ἄνευ κατηγόρου ἂν αὐτὸν ἀπεδοκιμάζετε· νῦν δ' ὅτε μὴ μόνον ἱππευκὼς μηδὲ βεβουλευκώς, ἀλλὰ καὶ εἰς τὸ πλῆθος ἐξημαρτηκὼς φαίνεται, οὐκ ἂν ἄτοπον ποιήσαιτε, εἰ μὴ τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχοντες περὶ αὐτοῦ φαίνοισθε;* (Scheib. male *φανοῖσθε* cum MSS.). Unus hic locus est ex paucis, quibus Laurentianus veram lectionem habet. Omittenda enim sunt verba *μηδὲ βεβουλευκώς*, non quod iunctura membrorum per *οὐ μόνον — οὐδέ — ἀλλὰ καί* (cuius aliquot exempla affert Sauppius Ep. crit. p. 21) sit insolens, sed quia senatoriae dignitatis, qua functus fuisset E., in praegressis nulla mentio est, et orator sic argumentatur: si *eques* sub XXX viris fuisset, eum improbaretis; nunc quum non tantum eques fuerit sed multo etiam gravius deliquerit, quid facere vos oportet? Quantum nunc obesset senatoris munus, si olim eo functus esset, probationi nihil attinebat dicere, quum in condicionali sententia non positum esset *ἱππευκότος ἢ βεβουλευκότος*, sed simpliciter *ἱππευκότος*. Locus interpolatus videtur ab interprete, qui superiora *εἰ μὲν δὴ βουλεύσων* male intellexerat. Ceterum apparere videtur ex verbis *μὴ μόνον — ἀλλὰ καί*, quae non poni possunt pro *μὴ ὅτι — ἀλλά*, equitem re vera fuisse Evandrum; quod ea res, quasi incerta esset, in priore sententiae parte sub condicionis non expletae forma enunciata est (*εἰ ἐνεγέγραπτο*), factum est eo quod haec condicio quasi subordinata est commemorationi rei non factae (*εἰ ἐδοκιμάζετο*).

§ 12. *ὥσθ' ὑμῖν καθήκειν.* Leg. *καθήκει.* Nam *ὥστε* est *quapropter.* Nihilo minus recte se haberet infinitivus, si haec ex mente Evandri dicta essent. Sed secus fieri quisque admonitus sentiet.

§ 13. *ἆρ' οὐκ οἴεσθ' αὐτοὺς χαλεπῶς διακεῖσεσθαι καὶ ὑμᾶς αὐτῶν αἰτίους ἡγήσεσθαι, ὅταν γένωνται ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις, ἐν οἷς αὐτῶν πολλοὶ εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπήγοντο —;* Interpretantur: quum in memoriam *redierint;* sed exemplum

quod Dobreus affert (Aesch. c. Ctesiph. 75. 20) eo differt, quod ibi *τὴν διάνοιαν* additum est. Marklandus coniiciebat *πάντων αἰτ. ἡγ. ὅσα ἐγένοντο ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις*, Kayserus *πάντων ὅσα γεγένηται* (pro *ὅταν γένωνται*). Scheib. *ὅτ. ταὐτὰ γένωνται* (vel *γένηται*) *ἐκείνοις τοῖς χρόνοις*. Sed his adscitis coniecturis haerebis in coniunctivo *ἐνθυμηθῶσι*. Fortasse rarior forma verbi *μιμνήσκω* librariis fraudi fuit et legendum est: *ὅταν μεμνῶνται τῶν ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις*. In proximis *κἀκεῖνο* esse legendum, non *κἀκεῖνοι* vix est quod moneam.

§ 14. *τότε μὲν γὰρ ὑμᾶς ᾤοντ' ὀργισθέντας Λεωδάμαντ' ἀποδοκιμάσαι· ἐὰν δὲ τοῦτον δοκιμάσητε, εὖ εἴσονται ὅτι οὐ δικαίᾳ γνώμῃ περὶ αὐτοῦ κέχρησθε.* *Ὀργισθῆναι* dicitur de iudicum severitate, puniendi studio, quod cum *δικαίᾳ γνώμῃ* iunctum esse potest. Iniuria Leodamas erat improbatus; sed ignosci poterat iudicibus, quod deliquerat aliquid, culpa tantum nimia severitate erat exaggerata; verum si nunc lenes se iudices praestarent, appariturum erat, aliam fuisse causam condemnandi, eamque iniustam. *Ὀργή* et *ὀργίζεσθαι* de iudicibus sic saepius, cf. 19. 6 et 28. 2: *ὑμέτερον τοίνυν ἔργον ἐστίν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐπὶ τοῖς τοιούτοις ὀργίζεσθαι*, in his criminibus severos vos praestare iudices.

§ 15. *ὑμῖν δὲ* (*συμφέρει*) *τόνδ' ἀποδοκιμάσαι, δόξετε γὰρ κἀκεῖνον δικαίως ἀποδοκιμάσαι· ἐὰν δὲ μηδὲ τόνδ', οὐδ' ἐκεῖνον δικαίως.* Si in verbis haerebimus, probabilis videbitur lectio Florentini: *ἐὰν δὲ μὴ τόνδ'*. Verba enim quae nunc leguntur sonant: „si *ne hunc quidem* improbaveritis." At alter (Leodamas) improbatus fuerat. Sed ad sententiam attendendum, quae haec est: si ne de hoc quidem iusta statueritis, nihilo magis de illo videbimini. Vis sententiae est in *δικαίως*, cuius notio a protasi non exclusa est. Vere praeterea Sauppius, ep. crit. p. 17: „uti *καί* in sententiis con„dicionalibus vel comparationibus bis poni solet, sic parti„culam negativam [compositam: *οὐδέ, μηδέ*] utrique membro „videmus additam esse." Pro *μή* igitur *μηδέ* positum.

§ 17. *οὐ γὰρ ἐλάττους τούτων ἡ πόλις τετίμηκε τῶν ἐπὶ*

Φυλὴν ἐλθόντων καὶ τὸν Πειραιᾶ καταλαβόντων. Sententia est: „non enim ex his (qui in urbe manserunt) pauciores hono„ravit (ad honores admisit) civitas, quam ex iis, qui „Phylen obsederunt et Piraeum occupaverunt," sive: ii qui honoribus functi sunt postea aeque ex iis qui remanserunt, quam ex exulibus fuerunt. Sed ut haec aperta sit sententia post τετίμηκεν addendum est ἤ. Nam genitivus est partitivus, non comparationis.

§ 19. Admodum dubito an δοκεῖ τι παρά τινι Graecum non sit; dicitur aliquid νομίζεσθαι παρὰ πᾶσιν, ἐγνῶσθαί τι παρά τινι (l. 2), δίκαιον εἶναι παρὰ πᾶσιν (hoc maxime apud poetas et Herodotum), nusquam, quod sciam, δοκεῖν παρὰ πᾶσιν. Itaque in verbis ἀλλὰ καὶ ὃ ἄλογον δοκεῖ εἶναι παρά τισιν, suspicor παρά adscriptum fuisse explicationis causa ad ἄλογον = παρὰ λόγον. Quod post collectivum pluralis usurpatur non sane insolitum; notandum tamen sectione 20 hoc raro apud oratores usu fieri post δῆμος vocabulum tam frequentis usus (αἱρούμενοι, αὐτοῖς, ἐψηφίσαντο).

Orationem hanc referendam esse ad annum 382, Ol. 99. 2, quum Evander, de cuius δοκιμασίᾳ hic agatur, Eponymus Archon fuerit Ol. 99. 3, primus recte animadvertit Hoelscherus. Dubitatum fuit quidem, utrum eponymus an βασιλεύς Evander designatus fuerit; sed iure Tayloro de βασιλεῖ cogitanti Dobreus opposuit § 12, ubi Evander κύριος futurus esse dicitur ἐπικλήρων καὶ ὀρφανῶν, quorum causae ad forum Archontis Eponymi pertineant. Cf. Herm. Staatsalt. § 138. 6 et supra 15. 3. Neque reliqua obstant. Sectione 11 quae leguntur ἀξιοῖ — μετὰ τῆς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλῆς τὸν ἅπαντα χρόνον τῶν μεγίστων κύριος γενέσθαι possunt ad omnes archontes referri; omnes enim gesto munere Areopagitae fiebant. Et sectio 8 nostrae unice favet sententiae ut paulo post apparebit.

Fuerat igitur eo anno in δοκιμασίᾳ improbatus Leodamas, accusatus a Thrasybulo Collytensi, de qua accusatione Aristoteles Rhet. II. 23: Λεωδάμας ἀπολογούμενος [ἔλεγε], κατη·

γορήσαντος Θρασυβούλου, ὅτι ἦν στηλίτης γεγονὼς ἐν τῇ ἀκροπόλει, ἀλλ' ἐκκόψαι (leg. ἐκκέκοπται, aut ἐκκεκόλαπται) ἐπὶ τῶν τριάκοντα, οὐκ ἐνδέχεσθαι ἔφη· μᾶλλον γὰρ ἂν πιστεύειν αὐτῷ τοὺς τριάκοντα, ἐγγεγραμμένης τῆς ἔχθρας πρὸς τὸν δῆμον. Itaque aliquid de viro hoc constat; sed distinguendus sane est a Leodamante Acharnensi nobili oratore, de quo cf. Ruhnk. hist. crit. Or. p. LXIII, Saupp. Ep. Crit. p. 20, sq. Non meliore fama quam Leodamas erat Thrasybulus Collytensis (nam hunc significari, non Stiriensem vidit Ruhnkenius); nam secundum Demosthenem in Timocratea § 134 bis in vinculis fuerat; et si Lysiae credendum § 23 pecunia corruptus Boeotos ab Atheniensibus alienaverat, naves prodiderat, ad incitas urbem redegerat, a captivis Atheniensibus ut ipsius opera publice redimerentur, pecuniam pactus (παρὰ τῶν αἰχμαλώτων οὓς αὐτὸς ἀπώλεσε, τριάκοντα μνᾶς ἐσυκοφάντησεν, οὐ φάσκων αὐτοὺς λύσεσθαι, εἰ μὴ τοῦτ' αὐτῷ παρὰ σφῶν αὐτῶν παράσχοιεν). Nimirum quinque annis ante hanc orationem habitam (387) quum Athenae a Spartanis duce Teleutia ex Aegina Piraeo imminentibus ad angustias redactae essent, Thrasybulus cum octo triremibus ab Antalcida victus erat. Xen. Hell. V. 1. 27. A qua clade, rem invidiose exaggerans, repetit Lysias discrimen, quod Athenis imminebat: τὴν πόλιν περὶ σωτηρίας βουλεύεσθαι πεποίηκεν. Idem illud discrimen rerum significatur a Lysia in oratione κατ' Ἀλκιβιάδου (14. cf. supra p. 109). Thebis multum valuisse auctoritate Thrasybulum hunc, refert Aeschines 3. 138.

In locum improbati Leodamantis substitutus Evander penultimo anni die nunc in senatu probatur. Accusat nobilis aliquis Atheniensis, cuius maiores Pisistratidis iam restiterant (simile quid de se gloriatur Andocides, 1. 106), pater in Sicilia caesus erat (§ 21, sq.), contenditque fraude Evandri factum quod δοκιμασία dilata sit tam diu, ut iudicium, si opus sit, in tempore convocari non amplius possit. Huic vero difficultati sic occurrendum esse putat, ut pro Eponymo Ar-

chon Rex ceterique collegae sollemne sacrificium proximo die peragant § 8: *ἔστι δ' ὑμῖν οὐ τοῦτο μόνον σκεπτέον, ἀλλὰ καὶ πότερον εὐσεβέστερον τὸν βασιλέα καὶ τοὺς συνάρχοντας τὰ ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος ἄρξειν ἱερὰ θῦσαι, ὡς καὶ πρότερον ἤδη γεγένηται, ἢ καὶ τοῦτον*, in quibus *ὁ μέλλων ἄρξειν* dicitur *archon eponymus*, qui in locum Evandri, si improbatus fuisset, substituendus esset, eadem ratione qua Eponymus vulgo simpliciter *ἄρχων* dicitur. Crimen obiectum est tralaticium illud, quod saevitiae triginta virorum socius fuisset; singularia huic et propria non proferuntur. Nec successum habuit oratio; Evander proximo anno Eponymi munere functus est.

Oratio satis est bona et integra; nam quae desiderantur initio non multa sunt; ipsa opportunitas orationis habitae faciebat, ut de Leodamante improbato aliisque rebus, vulgo tum notis, non copiose esset exponendum; ea prout argumentatio postulabat breviter memorari poterant.

Interiit inter orationem 25 et hanc unus quaternio i. e. paginae quales in editione Scheibi, quatuordecim fere, quae continebant secundum indicem Palatino praepositum orationem *κατὰ* Νικίδου *ἀργίας* (cf. Saupp. ep. p. 7, sq.), quae totum paene quaternionem explevit; nam in fine orationis 25 similiter non nisi pauca interiisse videntur.

### XXVII. ΚΑΤ' ΕΠΙΚΡΑΤΟΥΣ ΚΑΙ ΤΩΝ ΣΥΜΠΡΕΣΒΕΥΤΩΝ. ΕΠΙΛΟΓΟΣ, ΩΣ ΘΕΟΔΩΡΟΣ.

§ 2. Saepe hi vobis dixerunt, nisi coerceantur rapinae, quas ipsi denuncient, peritura esse vobis stipendia (*ἐπιλείψει ὑμᾶς ἡ μισθοφορά*). *Καὶ νῦν οὐδὲν ἧττον τοσοῦτον ἐνδεῖ, ὥστε τὸ μὲν πλῆθος .... καὶ ἡ αἰσχύνη ἡ διὰ τούτων ὑμῖν γίγνεται, ἡ δ' ὠφέλεια τούτοις*. Lacunam agnovit Dobreus, qui tamen in sententia constituenda erravit: „quod isti semper „dictitabant, nunc saltem verum est; quum ita attritae sint „civitatis opes, ut [nisi coerceantur horum rapinae, peri-

„tura sint stipendia. Istarum autem rapinarum] odium ad „vos redit, lucrum ad istos." Hoc voluisse potius oratorem puto: nihilominus (etsi vos condemnavistis) nunc tanta est stipendiorum (*μισθοῦ ἐκκλησιαστικοῦ* potissimum et *δικαστικοῦ*) penuria, ut populus [indigeat, isti divites sint] et dedecus, rell. Excidit *πένεται* quo verbo in simili re utitur 12. 6; tum *οὗτοι δὲ πλουτοῦσιν*, aut simile quid. Cf. § 9: *οὗτοι μὲν γὰρ ἐκ πενήτων πλούσιοι γεγόνασιν ἐκ τῶν ὑμετέρων, ὑμεῖς δὲ διὰ τούτους πένητες*. De aliis conaminibus, quae mihi quidem minime satisfaciunt, videatur Scheib.

§ 2. *ὁπόταν οὗτοι καὶ οἱ τούτων λόγοι δοκῶσιν αἴτιοι εἶναι ψηφιεῖσθαι ὑμᾶς παρὰ τὸ δίκαιον, ῥᾳδίως παρὰ τῶν ἀδικούντων χρήματα λαμβάνουσιν.* Dobreus ad *αἴτιοι εἶναι ψηψιεῖσθαι*, „non temere, inquit, mutandum: when people expect, that „they will cause you, etc." Sed id, nisi fallor, esset *δοκῶσιν αἴτιοι ἔσεσθαι*, *κ. τ. ἑ.* Non puto alibi *αἴτιον εἶναι* cum futuro infinitivi iungi; certe ne apud Thucydidem quidem, qui saepius *ἐφετικά*, veluti *διανοοῦμαι*, cum futuro iungit, hoc invenitur nec in magno numero exemplorum quem congessit Madvig. Bem. p. 65 not. Requiro *ψηφίζεσθαι*. Cum accusativo et infinitivo construitur *αἴτιον εἶναι* Plat. Lach. 191. C: *ἐγὼ αἴτιος μὴ καλῶς σε ἀποκρίνασθαι* et supra 19. 51.

§ 3. *καίτοι τίνα χρὴ ἐλπίδα ἔχειν σωτηρίας, ὁπόταν ἐν χρήμασιν ᾖ καὶ σωθῆναι τὴν πόλιν καὶ μὴ* (cf. 12. 26, 25. 8), *ταῦτα δ' οὗτοι, φύλακες ὑφ' ὑμῶν καταστάντες, οἱ τῶν ἀδικούντων κολασταί, κλέπτωσί τε καὶ καταδωροδοκῶσι*; In his perinde est utrum cum Hirschigio *κατασταθέντες* (quo non opus, cf. Isocr. 7. 62 *τὴν ὑπὸ τῶν τριάκοντα κατασταῖσαν* et alia), an cum Dobreo *οἱ φύλακες* legas, an vulgatam tueare; manet enim difficultas haec, quod de custodibus agitur et maleficorum vindicibus *a populo creatis*. Qui *φύλακες* significentur nemo dixerit. *Νομοφυλάκων* potestas admodum restricta erat; tum ne potest quidem *φύλακες* illud absolute positum de his intellegi, quoniam *ἐκ τῶν συμφραζομένων* sponte suggeritur notio pecuniae. At qui sunt *φύλακες τῶν δημοσίων*

*χρημάτων*? *Ταμίαν* novimus unum, *ποριστάς* plures, sed qui colligerent pecuniam publicam, non qui custodirent aut dispensarent. Sequitur *οἱ τῶν ἀδικούντων κολασταί*, quod ita in universum dicitur, ut summam de omni scelere iudicandi potestatem complecti videatur, quod nulli uni magistratui sive collegio datum fuit. Et ne de collegio magistratuum cogites prohibet, quod in oratione saepius omnes de simili causa in iudicium vocati esse dicuntur. Collegium totum non in ius vocatur, quod si vel maxime, fit in *εὐθύναις* munere deposito; non potest bis fieri, novis semper magistratibus succedentibus. Haec sic scribere nullus orator Athenis potuit. Sed facili remedio res in integrum restitui potest; omittatur *ὑφ'*, ut legatur *Φύλακες ὑμῶν καταστάντες καὶ τῶν ἀδικούντων κολασταί*, *qui vestri (i. e. civitatis) custodes exorti sunt et maleficorum vindices*, qui magnifice promiserunt se cives servaturos, maleficos a vobis prohibituros.

§ 5. *καίτοι τοῦθ' ἅπαντες ἐπίστασθε, ὅτι οὐχ ὅταν τοὺς μὴ δυναμένους λέγειν κολάζητε, τότ' ἔσται παράδειγμα τοῦ μὴ ὑμᾶς ἀδικεῖν*. Haec postrema si alio loco legerentur, unusquisque, opinor, intellegeret: *exemplum vestrae innocentiae*. Nexus docet significari exemplum propositum ne vos audeant iniuria afficere. Saepe infinitivus cum genitivo articuli iunctus ponitur pro *ἵνα* cum coniunctivo, maxime apud Thucydidem, cuius usus multa exempla affert Krüger. ad I. 4: *Μίνως τὸ λῃστικὸν καθῄρει* (Cobet. *ἐκάθηρεν*, cui non assentior) *ἐκ τῆς θαλάσσης τοῦ τὰς προςόδους μᾶλλον ἰέναι αὐτῷ*. Dem. 24. 33: *ἐδόκει γὰρ τὸν ἔμπροσθεν χρόνον οὐ φύσει ἀλλ' ἐπιβουλεύων τοῦ πιστευθῆναι δίκαιος γεγονέναι*. Dobreus *τό* reponit et hîc et 8. 17: *ᾤμην γὰρ ἀπόθετος ὑμῖν εἶναι φίλος τοῦ μηδὲν ἀκοῦσαι κακόν*, quo loco *ἀπόθετος* prohibendi complectitur significationem. Sed post *παράδειγμα*, quod plane verbalem deposuit significationem, talis constructio ferri non potest. Multo melius in Nicomachea (30). 24 quam nostro loco legitur *παράδειγμα τοῖς ἄλλοις ἔσται μὴ τολμᾶν εἰς ὑμᾶς ἐξαμαρτάνειν*, ubi et deest illa ambiguitas, quae nostro loco

in *ὑμᾶς*, quod primo nescias sitne obiectum an subiectum, et *τοῦ* omittitur, per quod infinitivus prohibitivus non iungi solet cum substantivo sed cum tota sententia vel verbo.

§ 6. *ἂν δ' ὀφθῶσι (κλέπτοντες) ἢ μέρει τῶν ἀδικημάτων τὸν κίνδυνον ἐξεπρίαντο, ἢ εἰς ἀγῶνα καταστάντες τῇ αὑτῶν δυνάμει ἐσώθησαν.* Insolens est *ἀδίκημα* pro *pecunia iniuste parta.* Manifesto enim hoc vult: pecunia oblata corrumpunt accusatores. Pro *ὀφθῶσιν* Hirschig. *ληφθῶσιν*, sed cf. § 3: *καὶ οὐ νῦν πρῶτον ὤφθησαν ἀδικοῦντες.*

§ 7. *τῇ αὐτῇ ψήφῳ τούς τ' ἄλλους κοσμιωτέρους ποιήσετε ἢ νῦν εἰσι, καὶ παρὰ τούτων δίκην εἰληφότες ἔσεσθε.* Melius rursus in Nicomachea § 23: *τῇ αὐτῇ ψήφῳ τούς τ' ἄλλους βελτίους ποιήσετε καὶ παρὰ τούτου δίκην εἰληφότες ἔσεσθε*, omissis *ἢ νῦν εἰσι.*

§ 9. Digni sunt, inquit orator, qui condemnentur; et ne ut audiantur quidem postulare possunt (*ἀλλ' οὐκ ἂν ἡγοῦμαι αὐτοὺς δίκην ἀξίαν* — i. e. satis magnam — *δεδωκέναι, εἰ ἀκροασάμενοι αὐτῶν καταψηφίσαισθε*). Tum pergit statim *πῶς γάρ, ὦ ἄνδρες δικασταί, οἷς οὐδὲ ταὐτὰ καὶ ὑμῖν συμφέρει;* Meliora his exspectari poterant; aliquid insigne ad pravitatem memorandum erat, cur iis negaretur, quod reliquis maleficis concedi soleret, aut tale quid: non digni sunt qui audiantur; nam antea ipsi quoque corruptis accusatoribus effecerunt, ut vos ipsorum causam non cognosceretis (cf. § 6). Neque tamen Hamakero assentior, haec ita iungi ab oratore non potuisse. Aliquis enim nexus est in his. Summa enim sententiae superioris haec est, non *oportet* eos audire, non utile vobis. Ad quam attendens hoc significat: iis enim conduceret causam dicere; sed quae illis utilia sunt, vobis sunt noxia. Addit igitur haec quasi in superioribus non de iusto (*ἀξίαν δίκην*) sed de utili ageretur. Quamvis male, tamen sua ratione argumentatur.

§ 12. *καὶ νῦν ἴσως ποιήσουσιν, ἅπερ καὶ πρότερον ἦσαν εἰθισμένοι καὶ δημόται καὶ φίλοι, κλάοντες ἐξαιτεῖσθαι αὐτοὺς παρ' ὑμῶν.* Palatinus *ἐξαιτεῖσθε*, Laurentianus manifesta correctione

*ἐξαιτήσονται*. Nullam difficultatem haberet infinitivus epexegeticus positus post *ἅπερ* (ex multis, si tanti est, cf. Thuc. I. 77.4), nisi accederet *αὐτούς*, quod quo in generali sententia referatur, non apparet; si *τοὺς φεύγοντας* aut *τοὺς οἰκείους* legeretur, nemo haereret. Sed lenior est medicina; legendum *τοὺς αἰτίους*. — Sect. 13 pro *αἰτήσονται* legendum puto *ἐξαιτήσονται*. Nec movet me Nicomachea § 3 *οὔτε τῶν αἰτησομένων οὐδείς*. Utrobique *ἐξ* omissum. Ἐξ et *δι* per compendium scripta ita sunt similia ut vix dignosci possint; hoc *δι* deinde omissum est quod non intellegebatur.

§ 14. Praeterea, inquit, probabile est eosdem etiam accusatores exoraturos esse (*δεήσεσθαι*). Paulo post § 15: *ἡμεῖς μὲν τοίνυν οὐκ ἠθελήσαμεν προδοῦναι* rursus de eadem re tanquam praeterita sermo est, ubi ratio postularet: *οὐκ ἂν ἐθελήσαιμεν*. Sed eadem fere in Nicomachea § 35: *ἡμεῖς μὲν τοίνυν οὐκ ἠθελήσαμεν ὑπὸ τούτων ἀξιούμενοι πεισθῆναι*, ubi praecessit § 34: *πολλὰ δεηθέντες τῶν κατηγόρων ἡμᾶς μὲν οὐδαμῶς ἔπεισαν*. Haec igitur, ibi apta, in Epicratea alieno loco inserta sunt.

§ 15. *ἡμεῖς μὲν τοίνυν οὐκ ἠθελήσαμεν προδοῦναι, ἀξιοῦμεν δὲ μηδ' ὑμᾶς, ἐνθυμουμένους, ὅτι σφόδρ' ἂν ἡμῖν ὠργίζεσθε καὶ ἐτιμωρεῖσθε, ὅπου παρεπίπτομεν, ὡς εἰκὸς τοὺς ἀδικοῦντας, εἰ ἡμεῖς παρὰ τούτων ἢ χρήματα λαβόντες ἢ ἄλλῳ τινὶ τρόπῳ διηλλάγημεν*. Marklandus *παραπίπτειν* interpretatur *partes mutare;* melius utique Reiskius: *in manus incurrere.* Sed neque *ὅπου* recte se habere potest, neque fortuiti significatio, quae inest in verbo *παραπίπτειν*, apta est, ne dicam languida admodum esse quae sequuntur: *ὡς εἰκὸς τοὺς ἀδικοῦντας*. Scripsit fortasse *ὅπως περιεπίπτομεν οἷς εἰκὸς τοὺς ἀδικοῦντας*, utique satis verbose.

§ 16. *καὶ μή, ὥσπερ ἐν τῷ τέως χρόνῳ εἰθισμένοι ἐστέ, ἐπειδὰν καταψηφισάμενοι ἐξελέγξητε τοὺς ἀδικοῦντας, ἐν τῷ τιμήματι ἀζημίους ἀφίετε*. Non satis assequor quid Dobreus hac annotatione voluerit: „*καὶ μὴ ὥσπερ — εἰθ. ἐστὲ ἀφίετε*.

Rectissime. Transit constructio." Videtur *ἀφίετε* pro indicativo habuisse et retulisse locum ad illam brevitatem loquendi, qua verbum quo pertinet *μή* supprimitur, eiusque notio ex sequentibus repetenda est. Infra 31. 9: *οὐ τοίνυν οὐδ' ὥσπερ ἔνιοί [τινες] τῶν πολιτῶν μετεβάλλοντο, ἐπειδὴ ἑώρων τοὺς ἀπὸ Φυλῆς ἐν οἷς ἔπραττον εὐτυχοῦντας*, i. e. *οὐδὲ μετεβάλετο, ὥσπερ ἔνιοι ἐποίησαν.* Plat. Symp. 179. E: *ἐποίησαν τὸν θάνατον αὐτοῦ ὑπὸ γυναικῶν γενέσθαι, οὐχ ὥσπερ Ἀχιλλέα τὸν τῆς Θέτιδος υἱὸν ἐτίμησαν*, i. e. *οὐκ ἐτίμησαν, ὡς Ἀχιλλέα.* Thuc. VII. 44. 3: *ἑώρων δ' οὕτως ἀλλήλους ὡς ἐν σελήνῃ εἰκὸς τὴν μὲν ὄψιν τοῦ σώματος προορᾶν, τὴν δὲ γνῶσιν τοῦ οἰκείου ἀπιστεῖσθαι*, ubi *εἰκός* traxit ad se quae construenda erant cum *ἑώρων οὕτως*, nempe *ὥστε προορᾶν μέν, ἀπιστεῖσθαι δὲ τὴν γνῶσιν.* Arist. Equ. 783: *οὐ φροντίζει σκληρῶς σε καθήμενον οὕτως, οὐχ ὥσπερ ἐγὼ ῥαψάμενός σοι τουτὶ φέρω* i. e. *οὐδὲ φέρει, ὥσπερ ἐγὼ ποιῶ.* Similiter Livius *sicut* lib. XXIV. 25: „et non ferme desunt irarum indulgentes ministri. — Sicut „tum extemplo praetores rogationem promulgarunt" pro „sicut „tum praetores, qui promulgarunt." XLIV. 41, ubi phalanx describitur: „si — ab latere — tumultus — increpuit, rui„nae modo turbantur, sicut tum adversus catervatim incur„rentes Romanos — obviam ire cogebantur," pro: „sicut „tum turbabantur, dum obviam ire coguntur." Sed ut redeam ad Lysiam, sic *εἰθισμένοι ἐστέ* abesse debebat, et coniunctivus aoristi *ἐξελέγξητε* non aptus foret, qui manifesto docet, de re instanti sermonem esse. Pro *τούς* leg. *αὐτούς.*

Epicrates memoratur a Demosthene de fals. leg. § 277—280. Damnatus est cum sociis legationis morte, quod falsa retulissent, socios per calumniam accusassent (*κατεψεύσαντο*), dona accepissent. Ea accusatio multo ante a. 346, quo habita est oratio *περὶ παραπρεσβείας*, facta erat; § 277: *ὡς ἐγὼ τῶν πρεσβυτέρων ἀκούω.* 280: *οἱ δέ τινες αὐτῶν (τῶν καταγηρούντων Ἐπικράτους) ἔτι ζῶντες.* — Epicrates ipse a Demosthene dicitur (§ 277) *ἀνὴρ σπουδαῖος καὶ πολλὰ χρήσιμος τῇ πόλει καὶ τῶν ἐκ Πειραιῶς καταγαγόντων τὸν δῆμον, καὶ*

ἄλλως δημοτικός. In quo servire videtur argumento, ut pristinam severitatem iudiciorum extollat, siquidem iam Aristophanes huic ut σακεσφόρῳ irridebat et alibi et in Ecclesiazusis 71. Hanc fabulam cum doctam esse constet a. 393, apparet accusationem, cui qui anno 346 senes erant interfuissent, non ante a. 393, neque vero multo post institutam fuisse. Poenae se exilio substraxit, cf. Dem. § 280. — Bis accusatus est; sed eo iudicio, quod ante hanc orationem habitum est, absolutus § 4; eo referenda est Plutarchi narratio in Pelop. c. 30. Accusatus enim quod pecuniam a Rege accepisset, tantum abfuit ut negaret, ut optandum esse contenderet, si pro novem archontibus novem legati ad Regem quotannis crearentur. Quo dicto ille risum movit auditorum et accusatoris tela obtudit. Altera illa accusatio, ad quam haec oratio pertinet num ea sit, de qua apud Demosthenem sermo est, non liquido constat.

Quid enim Epicrati nunc obiectum fuerit nusquam clare dicitur. Δωροδοκίαν ei crimini datam fuisse ex § 3 efficias (ἀλλὰ καὶ πρότερον ἤδη δώρων ἐκρίθησαν). Legatione functus esse non nisi § 1 dicitur: κατηγόρηται μὲν Ἐπικράτους ἱκανὰ καὶ τῶν συμπρεσβευτῶν. Sed quae in reliqua oratione dicuntur non quadrant in legatos sed in demagogos. Persuaserant saepe populo solitam mercedem defuturam, nisi damnaret quos isti damnatos cuperent (§ 1); se populi defensores dixerant; iam antea propter dona accepta causam dixerant (2); dicendo valentes et opibus ex iudiciis illaesi abibant (6); effecerant, ut ipsi bello ditescerent, cives essent pauperes (10). Eo vos, inquit orator, redacti estis, ut, quamvis miseri, miserabiles non videamini, quasi noxii, illos miseremini velut insontes; isti nunc domini videntur, vos servi (12). Omnino haec perquam similia sunt iis, quae Lysias, pro bon. Nic. fratris (18). 16 et Demosthenes Olynth. 3. 30—32 malis oratoribus (ῥήτορσι Lys., τοῖς πολιτευομένοις Dem.) obiiciunt, nec ullo modo possunt de legatis accipi, quorum potestas brevi finitur; hi non possunt diu iuncti inter se sensim pau-

latimque populi potestatem subvertere. Factio quaedam significatur oratorum venalium et arte potentium, qui magnifice promittere solebant se potissimum rei publicae prospecturos (§ 3), ut ipsi lucra et emolumenta sibi vindicarent. Nihil est in tota oratione post sectionem primam quod ad causam quae nunc agitur, legationem male gestam, unice referatur, sed perstringuntur Epicrates eiusque *defensores*, tanquam *mali demagogi*, quibus numquam fidem habere oporteat; male gestae legationis opportunitate utitur orator ut totum hoc genus demagogorum perstringat, ab eoque tanquam fonte miseram civitatis condicionem repetat. Igitur quae § 1 sunt *τούτων λεγόντων* referenda ad defensores Epicratis et Epicratem ipsum, tanquam malos demagogos, sic etiam in proximis *οὗτοι* (§ 2 et 3 init.); de iisdem ib. *καὶ οὐ νῦν πρῶτον ὤφθησαν ἀδικοῦντες*, ubi coniungit Epicratem et factionem eius, quae defensione et maleficiorum similitudine in partem culpae veniat. Horum opera factum erat, ut in eadem causa olim Athenienses alterum quendam (qui miro nomine *Ὀνομάσαντος* appellatur) damnassent, absolvissent Epicratem, quamvis in aprico culpa esset, quum testes prodirent ii ipsi, qui dona obtulisssent (quos, ut Epicrati insidiarentur, hoc fecisse probabile est). Unus tum accusator (*τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός* § 4) omnes (*ἅπαντας*) in ius vocaverat, nimirum Epicratem et omnes qui quasi communem cum eo causam faciebant, non omnes, qui nunc accusantur, legatos, quorum causa non potuit bis in iudicium deferri. In eosdem demagogos invehitur, quum dicit dignos esse qui etiam indicta causa damnentur (§ 8). Iidem § 12 et sq. deprecaturi pro reis esse dicuntur; hi, inquit § 13 extr., non gratiam merentur vestram sed poenam, quum vos poteritis (*ὁπόταν ὑμεῖς δύνησθε*) i. e. quum ipsi aliquando accusabuntur. Ii tum fortasse a nobis accusatoribus pecunia oblata petent, ut ab accusatione desistamus; sed quemadmodum frustra a nobis hoc petent, sic vos quoque et tum severos vos praestatote et inexorabiles, et nunc Epicratem et sodales digna poena afficite.

Ex his, apparet facere me non posse cum Hamakero, qui orationem hanc ex duobus fragmentis conflatam putans (prius ei est § 1 usque ad *συμπρεσβευτῶν* et § 9 *πῶς γάρ*, sqq. ad fin.; alterum efficiunt quae his interposita sunt) argumentum utrique fragmento diversum esse statuit. Non deesse nexum sententiarum § 9, supra demonstravimus; qui si non simplicitate se commendat, tenendum alia quoque in hac oratione parum elegantia et facilia esse. Veluti § 4 satis abrupte *καὶ ὑμῖν ἔχω ἐπικαλέσαι* additur. Tum ut omittam quae Scheibius iam Hamakero opposuit, non video, quare is qui ex duobus fragmentis oratiunculam consarcinasset, pauca illa verba, quae initio leguntur (*κατηγόρηται — συμπρ.*), addidisset, legationis de qua in sequentibus nec vola nec vestigium, mentionem omisisset; etiam parum apte coniuncta fuissent in oratione unde haec sumsisse consarcinator putatur, haec: *κατηγόρηται μὲν Ἐπικράτους ἱκανὰ καὶ τῶν συμπρεσβευτῶν. πῶς γάρ; οἷς οὐδὲ ταὐτὰ καὶ ὑμῖν συμφέρει*, in quibus equidem nexum sententiarum desidero.

Animadvertit Dobreus similia esse multa in hac oratione et Nicomachea (30); quorum etsi quaedam iam supra tetigi, iuvat tamen hic omnia sub unum conspectum ponere. In utraque incitantur iudices, ut potissimum ab iis, qui dicendo valeant, poenas repetant; cf. § 5 cum Nic. 24.

*καίτοι τοῦθ' ἅπαντες ἐπίστασθε, ὅτι οὐχ, ὅταν τοὺς μὴ δυναμένους λέγειν κολάζητε, τότ' ἔσται παράδειγμα τοῦ μὴ ὑμᾶς ἀδικεῖν ἀλλ' ὅταν παρὰ τῶν δυναμένων λέγειν δίκην λαμβάνητε, τότε πάντες παύσονται ἐπιχειροῦντες εἰς ὑμᾶς ἀδικεῖν.*

*ἐπίστασθε δ' ὦ ἄνδρες δικασταί, ὅτι παράδειγμα τοῖς ἄλλοις ἔσται μὴ τολμᾶν εἰς ὑμᾶς ἐξαμαρτάνειν οὐχ ὅταν τοὺς ἀδυνάτους εἰπεῖν κολάζητε, ἀλλ' ὅταν παρὰ τῶν δυναμένων λέγειν δίκην λαμβάνητε.*

Salutaris erit iudicii severitas:

§ 7. *ἐὰν δὲ καταψηφισάμενοι θανάτου τιμήσητε, τῇ αὐτῇ ψήφῳ τούς τ' ἄλλους κοσμιωτέ-*

Nic. 23. *ἐὰν δὲ καταψηφισάμενοι τῶν ἐσχάτων αὐτῷ τιμήσητε, τῇ αὐτῇ ψήφῳ τούς*

ρους ποιήσετε ἢ νῦν εἰσι, καὶ παρὰ τούτων δίκην εἰληφότες ἔσεσθε.

τ' ἄλλους βελτίους ποιήσετε καὶ παρὰ τούτου δίκην εἰληφότες ἔσεσθε.

Vides haec verbis inter se similia esse. Superiora (§ 7, Nic. 23), quibus quae exspectatio sit hominum de eventu iudicii declaratur, sententia non verbis comparanda inter se, non describo, quoniam similia alibi quoque inveniuntur; cf. 12. 35 et 22. 19. Maiorem vim habent haec:

§ 15. ἡμεῖς τοίνυν (οἱ κατήγοροι) οὐκ ἠθελήσαμεν προδοῦναι, ἀξιοῦμεν δὲ μηδ' ὑμᾶς, ἐνθυμουμένους, κ. τ. ἑ. (cf. 14 futurum δεήσεσθαι).

Nic. 35. ἡμεῖς μὲν τοίνυν οὐκ ἠθελήσαμεν ὑπὸ τούτων ἀξιούμενοι πεισθῆναι, τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο παρακαλοῦμεν ὑμᾶς.

Maxime velim attendi, in Epicratea paene omnia quae diversa sint, peiora esse, quaedam ab argumento aliena (cf. quae supra ad singulos locos monui). Apparet ex his, Epicrateam ex Nicomachea imitatione expressam esse, non contra. Quod etiam ex tempore habitae utriusque orationis effici possit, siquidem Nicomacheam hodie fere constat a. 399 habitam esse (cf. Bergk. in Andoc. edit. Schiller. p. 141, sqq.), Epicrateam demonstravimus ad a. 393 aut paulo post referendam esse. Sed quaeritur, num Lysias suam ipse orationem expresserit dicam an depravaverit. Si ageretur de ἐνθυμήμασι quibusdam sententiisque splendidioribus, quas ex commentariis depromsisse credi posset, possit quis fortasse ita accidisse putare; nunc vero quum nullo ornatu conspicua, partim exilia sint quae sunt similia (§ 15), equidem non facile crediderim.

Quod si haec oratio per se spectatur, etiam inveniuntur, quae offendant: subita conversio § 4. καὶ ὑμῖν ἔχω; nomen inauditum Ὀνομάσαντος, ib.; ἀδίκημα § 6; lusus in verbo ἄκριτος: οὐ γὰρ οὗτοι ἄκριτοί εἰσι, περὶ ὧν ἂν ὑμεῖς εἰδότες τὰ πραχθέντα ψηφίσησθε, qui etsi a Lysia non alienus est (cf. ἐπ' αὐτοφώρῳ supra p. 98), tamen hîc nullam necessitatem habet; poterant omnia illa § 8 ἡγοῦμαι — § 9 καταψηφίσαισθε

abesse; offendit porro argumentatio § 9 (cf. supra); demonstratio perturbata § 14 et sq. Denique egregia sunt quae de demagogis § 11 et 12 dicuntur, sed his similia etiam alibi inveniuntur, unde sua auctor mutuari potuit. Accedit, quod accusatio tam est infinita et tam pauca facta continet, adeo errat et vagatur inter accusatos et defensores, quorum utrique pronomine *οὗτος* significantur, ut parum limpida sit, neque evidentiam veritatis habeat, et nihil impediat, quominus fictam putemus. Suspicor, opus esse subditicium rhetoris cuiusdam non pessimi, qui flosculis ex Lysia et Demosthene decerptis declamationem hanc ornaverit. Ad Lysiae orationem in Epicratem (Bekk. Anecdd. p. 103. 11: *καταδιῶξαι· Λυσίας κατ' Ἐπικράτους*, non lectum in nostra Epicratea) exercitationis causa epilogum hunc scripsit in demagogos, Epicratis sodales, qui nunc eum defendendum susceperant.

Inscriptio ipsa Epilogum esse docet: *κατ' Ἐπικράτους καὶ τῶν συμπρεσβευτῶν, ἐπίλογος ὡς Θεόδωρος.* In qua postrema tria verba a reliquis separanda: „secundum Theodori sententiam epilogus." Theodorum Taylorus intellegit aut Byzantinum a Platone et Dionysio Halic. memoratum (quod minime probabile) aut Gadarenum, Tiberii aequalem. Condidit hic sectam quandam rhetorum, qui a magistro Theodorei appellabantur, quibus oppositi erant Apollodorei. Cf. Quinct. III. 1. 17. In libris tamen eius, quos recenset Suidas i. v., nullus est, in quo de hoc argumento actum credas. Diodori, Polionis (vel Pollionis) filii qui floruit sub Hadriano *ἐξήγησιν τῶν ζητουμένων παρὰ τοῖς δέκα ῥήτορσιν* laudat Suidas v. *Πωλίων*. Sed argumentum hoc non est ita reconditum, quin a pluribus grammaticis tangi potuerit, ut temarium adeo videatur, quum tam ingens numerus sit Theodororum (cf. Pauly, Real-Enc.), Diodoros arcessere.

Nicomachea, si sequamur Harpocrationem v. *ἐπιβολή*, sublestae esset fidei; unde sequeretur, ut nostra oratio ex falsa esset *παραπεποιημένη*. Sed operae pretium de ea paulo accuratius inquirere.

XXX. ΚΑΤΑ ΝΙΚΟΜΑΧΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ ΕΥΘΥΝΩΝ ΚΑΤΗΓΟΡΙΑ.

Nicomachus humili loco natus legum peritia ad aliquam dignationem pervenit. Nam quamvis pater servus publicus esset (*δημόσιος*), ipse scriba (*ὑπογραμματεύς*), tamen quum antiqua reipublicae forma post quadringentos instauraretur, hoc ei muneris datum est ut Solonis leges ex tabulis vetustis et aegre intellectis (*κύρβεις* appellabant) novis ut videtur litteris (alphabeto Ionico) transscriberet (*ἀναγράφοι*). Quam provinciam etsi segniter administrabat, quum sex annos insumeret rei ad quam quatuor menses sufficere visi essent, tamen tam bene vulgo de eo existimabant, ut si qui leges quid praescriberent, sciscitari vellent, ab hoc responsa peterent. Non mirum si hic terrae filius, nullos qui maiores haberet, auctoritatem tamen quandam inter cives, quibus recens demum adscriptus esset, sibi comparasset, invisus fieret et odiosus (Arist. Ran. 1506). Crimini ei dabant quod paulo ante triginta virorum dominationem ficta lege, quo certius Cleophonti libertatis patrono exitium pararet, effecisset, ut ad eius iudicium praeter heliastas etiam Senatus adhiberetur, quo factum esset ut ille damnaretur (§ 11, sq.). Verum haec in peius sine dubio aucta; satis longo temporis intervallo ab iis rebus separato oratori licuit impune istiusmodi quid fingere. Et in oratione *κατ' Ἀγοράτου* § 12, ubi eadem res narratur, de Nicomacho, qui nihil quam subministrasse legem videtur, quam sibi favere oligarchi putabant, tacetur. Et quis crediderit tam acrem libertatis inimicum a triginta viris primum expulsum, tum, quum Euclide archonte redisset, a civibus denuo honore affectum fuisse? Attamen sic Nicomacho accidit. Haec si inter se pugnent, vero consentaneum est iis fidem haberi, quae proxime facta essent ante praesens iudicium, superiora illa a vero detorta putare. Sed hoc quidquid est — intellego enim certa proferri non posse, coniiciendi tamen veniam mihi peto, qui putem saepius iusto mendaces oratores nobis imponere —

paulo post Piraeenses urbe receptos, quum ne tum quidem leges ordinatae essent, et vetus reipublicae forma restituenda esset, placuit extra ordinem nomothetas creare, qui leges Solonis et Dracontis rescriberent et publice proponerent. Quo in numero tum Nicomachus fuit. Ne nunc quidem Nicomachus criminationem subterfugit; quum ad opus mandatum, quod uno mense absolvere potuisset, quatuor annos sibi sumsisset, neque interim muneris gesti rationes dedisset, quatuor annis post libertatem restitutam εἰςαγγελία in illum instituitur, quod magistratum non in tempore deposuisset nec rationes dedisset. De illa εἰςαγγελίᾳ prius in senatu disceptata nunc agitur in iudicio heliastarum, ad quod a senatu causa reiecta erat.

Haec fere capita causae sunt, quae perspicuitatis causa praeponenda esse videbantur. Accedo ad singula. Bremii sententia, qui putabat omnia delicta Nicomachi pertinere ad tempora triginta viris superiora hodie recte explosa est. Sed de eo etiamnunc ambigitur quo nomine et auctoritate munitus legibus rescribendis operam dederit. Hamakerus (p. 77) a Bergkio (post And. editionem Schill.) dissentiens nomothetae munus diversum ab ἀναγραφῇ fuisse putat, ut non tanquam nomotheta leges rescripserit. Ipse tamen coll. § 2 et 28 fateri cogitur aliquando nomothetam fuisse Nicomachum (p. 79). Quo vero tempore nomothetae munus, si ab ἀναγραφῇ diversum sit, gessisset difficile dictu est. Orator § 28: ὑμεῖς, inquit, Τισαμενὸν τὸν Μηχανίωνος καὶ Νικόμαχον καὶ ἑτέρους ἀνθρώπους ὑπογραμματέας (νομοθέτας εἵλεσθε). Andocides de Myst. § 82 verba faciens de iis, quae facta essent post expulsos triginta, ἐπειδή, inquit, βουλήν τ' ἀπεκληρώσατε νομοθέτας θ' εἵλεσθε· — — ἐψηφίσασθε, δοκιμάσαντας πάντας τοὺς νόμους, εἶτ' ἀναγράψαι ἐν τῇ στοᾷ τούτους τῶν νόμων οἳ ἂν δοκιμασθῶσι. Ibi aperte nomothetis ἀναγραφή adscribitur. Sequitur l. l. psephisma quod praefert Tisameni nomen, eiusdem quem Lysias una cum Nicomacho nominat. In quo sunt haec verba: οἵδε (Schoem. de Com.

p. 271 dubitanter *οἱ* Λ' vel *οἱ* ΛΕ' i. e. *οἱ τριάκοντα* vel *τριάκ. πέντε*; melius Bergk.: *δέκα*) *ᾑρημένοι νομοθέται ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀναγράφοντες ἐν σανίσιν ἐκτιθέντων πρὸς τοὺς ἐπωνύμους*. Quamquam, si cui dubia videatur haec auctoritas, vides ne psephismate quidem opus esse, ut demonstretur illorum nomothetarum (qui probe distinguendi a quingentis in eodem psephismate commemoratis, et a vulgaribus) proprium fuisse *τὸ ἀναγράφειν τοὺς νόμους*. Quibus satis demonstratum tanquam *νομοθέτην* rescripsisse (*ἀναγράψαι*) leges Nicomachum; nec quidquam prohibet, 'quominus eum statim post triginta viros expulsos creatum putemus. Quod in psephismate apud Andocidem *iubentur* uno mense munus perficere (*παραδιδόντων ταῖς ἀρχαῖς ἐν τῷδε τῷ μηνί*), apud Lysiam (§ 4) Nicomachus dicitur *potuisse* triginta diebus rem perficere, discrimen est minutum nimis quam ut nos morari debeat.

Ceterum omnia in hac oratione clamant, culpam N. mirifice ab oratore exaggerari. Pretio, inquit, ante triginta viros leges fixit atque refixit; non aliis utebamur legibus, quam quas ille subministrabat nobis (§ 3). Est ista dictatoris aut aesumnetae potentia. Cuius hominis nullam aliam memoriam apud reliquos harum rerum scriptores quam in uno alteroque dicto Aristophanis (Ran. 1505, 1078 cf. supra p. 54) superfuturam fuisse, quis sibi persuaderet? Attende etiam illas tragoedias: *ἐπιβαλλόντων δὲ τῶν ἀρχόντων ἐπιβολὰς καὶ εἰςαγόντων εἰς τὸ δικαστήριον οὐκ ἠθέλησε παραδοῦναι τοὺς νόμους· ἀλλὰ πρότερον ἡ πόλις εἰς τὰς μεγίστας συμφορὰς κατέστη, πρὶν τοῦτον ἀπαλλαγῆναι τῆς ἀρχῆς καὶ τῶν πεπραγμένων εὐθύνας ὑποσχεῖν*, quae sic dicuntur, quasi unus Nicomachus calamitatum auctor fuerit, quae tamen casu tantum in idem tempus incidunt. Tum invidiose *δημόσιος* dicitur ab eodem oratore qui paulo ante eum dixerat *εἰς τοὺς φράτερας ἐγγραφῆναι*, id est optimo iure civem esse. Nimirum pater Nicomachi servus erat publicus, qui civitate donatus impetravit a populo ut liceret filium phratriae tabulis inserere, quod

adscripticiis (*δημοποιητοῖς*) raro permittebatur, patri tamen concessum fuisse, quum ipse civitate donaretur, ut Nicomachum iam aliquot annos natum in phratriae catalogum inferret, fidem facit § 2: *καὶ οἷα νέος ὢν οὗτος ἐπετήδευσε, καὶ ὅσα ἔτη γεγονὼς εἰς τοὺς φράτερας εἰσήχθη, πολὺ ἂν ἔργον εἴη λέγειν.* Vix enim hoc potuit pueri aut adolescentis meritis in rem publicam deberi. Non inutile erit contulisse locum Aristophanis elegantissimum in Ran. 417: *Βούλεσθε δῆτα κοινῇ Σκώψωμεν Ἀρχέδημον, Ὃς ἑπτέτης ὢν οὐκ ἔφυσε φράτερας;* Ceterum cf. Schoem. Ant. Iur. Publ. p. 207. 4. Nicomachum igitur, ut qui populi beneficio omnia deberet eique quasi emancipatus esset, *δημόσιον* appellat (§ 6) ad calumniandum vulgari loquendi consuetudini vim inferens.

Denique quo magis urgeat orator rationis non redditae culpam, de *εὐθύναις* ea narrat, quae non potuerit non consulto fingere. *Οἱ μὲν ἄλλοι*, inquit, *τῆς αὐτῶν ἀρχῆς κατὰ πρυτανείαν λόγον ἀναφέρουσι, σὺ δ' ὦ Νικόμαχε, οὐδὲ τεττάρων ἐτῶν ἠξίωσας ἐγγράψαι.* Fuisse menstruam censuram in prima cuiusque prytaniae contione (*ἐπιχειροτονίαν*) notum est; sed rogabatur tantum in universum populus num qui magistratus in munere gerendo contra leges peccasset; non singuli magistratus rationes dabant; munere deposito demum, intra triginta dies, rationes debebaut. Quod si lubet hanc *ἐπιχειροτονίαν* dicere *εὐθύνας*, eodem iure Nicomachus rationes quavis prytania dedisse dici poterat, quo reliqui magistratus. Verba oratoris (*οἱ μὲν ἄλλοι*) ita generatim dicta sunt, ut manifesto falsa tradat, et consulto quidem, quoniam nemini Athenis in re publica vel modice versato, nedum oratori ignota potuit res esse. Si fuerint, qui quovis mense rationes gesti muneris apud prytanes deposuerint (*ἐγγράφειν*), consentaneum est fuisse eos, qui pecuniae administrationem haberent, sed ad hos Nicomachus non pertinebat.

Quae attuli exaggerata et a vero detorta, tamen, quum culpa rei iis augeatur, eiusmodi esse videntur, ut accusator calumniandi studio motus dicere potuerit. Cauti quidem

et prudentis oratoris non est exaggerare res, quae facile ab adversario redargui possunt. Sed quam credulus fuerit popellus Atticus, quam nihil non probaverit, quod semel susceptae opinioni de culpa faveret, non uno loco docemur. Lepide Aristophanes in Acharnensibus eam credulitatem sugillavit, inducens legatos Regis in contionem admissos, qui a nullo intelleguntur sed tamen fidem inveniunt, quod magnam pecuniam a Rege offerre dicuntur (98, sqq.), et in eadem fabula (635) gloriatur poeta, quod in *Babyloniis* Athenienses *ἔπαυσε ξενικοῖσι λόγοις μὴ λίαν ἐξαπατᾶσθαι*. Verum nimis ille hoc gaudio exsultabat. Nota sunt quae post in Hermacopidarum iudicio facta sunt; testatus est aliquis se ad lucem lunae noxios quosdam cognovisse, quum paulo post appareret illa nocte novam fuisse lunam (Plut. Alc. 20; cf. tamen Grote VII. 199). In iudicio ducum, qui ad Arginusas vicerant, prodiit qui se in farris dolio enatasse diceret, fortissimos autem milites, qui mersi essent, sibi mandasse ultionem (Xen. Hell. I. 7. 11). Pulcra nimirum confabulandi opportunitas, e dolio medio mari! Talia audientes, quid miramur fallacibus argumentis et fraude contioni oratores imponere potuisse?

Quum igitur ex multis appareat mirum quantum exaggerasse facta oratorem, ne dicam mentitum esse, non quovis pretio contendere ausim non una cum reliquis nomothetis in tempore munus impositum perfecisse Nicomachum. Reliquos si constat fecisse (cf. Andoc. l. l.), non intellegitur, quare ille solus ex eo numero exemtus fuisset; toti extraordinario quasi collegio provincia mandata erat, quae non erat perfecta, si unus quidam ex sociis legibus conquirendis et rescribendis etiam tum occuparetur. Munus si inter se partiti sunt — quod suspicatur Hoelscherus — nihil haec partitio ad populum pertinebat. Itaque dubitari licet, an post nomothetarum munus perfectum Nicomachus se pro magistratu non gesserit; namque leges, quas ille postea e situ protrahebat, non publica auctoritate sed ex religione sacri-

ficantium vim aliquam nanciscebantur (§ 19, sqq.) et ex opinione communi de eius scientia legum pro genuinis habebantur et observabantur. Rara avis erat iurisconsultus Atticus et minoris ab oratore habitus. Non magni refert, utrum sollemnes rationes (*εὐθύνας*) hi nomothetae dederint, nec ne. Demonstravit Bergkius l. l. p. 155 coll. Aesch. Ctes. 14 non dedisse, quod intra triginta dies munus absolutum esset. Dubitat de eo Weyers in diatr. in Lys. or. in Nicomachum, p. 35. Utique legibus rescriptis et cum populo intra constitutam diem communicatis, magistratus esse desinebant, quodque unus postea suo Marte agebat non vi muneris fiebat, etiamsi tacito civium consensu probaretur. Veruntamen ex hac Bergkii admonitione intellegitur, vere fortasse accusatorem dixisse numquam rationes a Nicomacho datas fuisse.

Per sex annos continuos ante imperium triginta virorum populi mandatu egisse Nicomachum non potest negari propter ea quae leguntur § 3: *ἐπιβαλλόντων δὲ τῶν ἀρχόντων ἐπιβολὰς καὶ εἰςαγόντων εἰς τὸ δικαστήριον οὐκ ἠθέλησε παραδοῦναι τοὺς νόμους*, quae collatis sequentibus apparet referenda esse ad tempora proxime triginta virorum imperium praegressa. Nam legum tabulas (*κύρβεις* sive *ἄξονας*, de quibus cf. Hulleman, Misc. Phil. et Paed. fasc. 2, Amst. 1850 p. 56, sqq.) non poterat domi suae retinere nisi publice creditas. Sed quam valde rursus rem augeat orator, quisque videt. Quis enim crediderit civitatem ad incitas redactam fuisse defectu legum, quas unus civis domi retineret; quasi vero populus non ausus fuisset quantocius, etiam per vim, ab administro suo repetere illud, quod sine reipublicae perturbatione amplius tenere non posset?

Quae causa moverit accusatorem, ut nunc demum post quatuor annos actionem institueret incertum est. Sed de genere actionis aliquid mihi efficere posse videor ex § 7: *ἐὰν δ' ἄρα ἐπιχειρῇ λέγειν, ἅπερ ἐν τῇ βουλῇ, ὡς ἐγὼ τῶν τετρακοσίων ἐγενόμην, κ. τ. ἑ.* Ex his enim apparet rem prius

in senatu disceptatam fuisse, quod quum fieret in εἰςαγγελίαις (Meier. et Schoem. de Lite Att. p. 265), hanc quoque actionem εἰςαγγελίαν fuisse putaverim. Neque enim agitur simpliciter de rationibus non redditis (γραφὴ ἀλογίου), quod vulgo interpretes statuunt, sed de potestate contra leges protracta, de magistratus auctoritate temere arrogata; quod crimen satis est magnum et rarum, ut peculiaris illa accusatio de eo instituatur. Inscriptionis εὐθυνῶν κατηγορία nullam esse auctoritatem omnes statuunt interpretes.

De argumento orationis et dispositione post ea, quae alii iam monuerunt (Bergk., Weyers, Hamaker.), non est quod fusius iam exponam. Itaque dicta sufficiant. Sed de auctore quaerendum. Harpocration v. ἐπιβολή — παρὰ Λυσίᾳ ἐν τῷ κατὰ Νικομαχίδου, εἰ γνήσιος ὁ λόγος. Ubi quin nostra oratio significetur, collatis §§ 3 et 11 dubium esse non potest. Et ipsum quidem Harpocrationis iudicium non magni facio, sed sunt in oratione, quae speciem aliquam huic dubitationi concilient. Ita praeter ea quae manifesto supra verum aucta iam ostendi, quae tamen ex accusandi studio explicationem habent, error deprehenditur in nominibus triginta virorum § 12: Σάτυρος καὶ Κλεοφῶν οἱ τῶν τριάκοντα γενόμενοι οὐχ ὑπὲρ ὑμῶν ὀργιζόμενοι Κλεοφῶντος κατηγόρουν, quo loco hodie recte pro Κλεοφῶν substitutum est Χρέμων coll. § 14: καὶ ταύτην τὴν βουλὴν συνδικάζειν ἐποίησεν ἐν ᾗ Σάτυρος μὲν καὶ Χρέμων μέγιστον ἐδύναντο. Is autem fuit in triginta viris secundum Xen. Hell. II. 3. 1. Non Satyrus. De eo tamen in hac brevi commemoratione potuit errare auctor, quod Satyrus et ad undecimviros sub triginta pertinuit et strenue eorum consilia adiuvit, quare a Xenophonte θρασύτατος καὶ ἀναιδέστατος appellatur, Hell. II. 3. 54. Etiam credi posset in locum Theramenis substitutus nisi Diod. XIV. 32 traderet postea actum fuisse, ut Thrasybulus pro Theramene substitueretur. Et in extremo periculo, in quo triginta erant caesis Critia et Hippomacho (Hell. II. 4. 19), numerum tyrannorum suppletum esse non probabile est. Contra quae

de rebus civitatis memorantur § 22 cum historia conveniunt. Nam quod Lacedaemonii dicuntur minari, nisi mittant Athenienses pecuniam debitam (*ἀπειλοῦντας, ὅταν μὴ ἀποπέμψωμεν αὐτοῖς τὰ χρήματα*) pertinet ad centum talenta, quae triginta viri mutua a Lacedaemoniis sumserant, ut suam tuerentur potentiam, quae reddita postea sunt, de quo loci classici Lys. 12. 58, sq., Isocr. 7. 68, Dem. 20. 11, sq. Demosthenes indicat statim post populare imperium restitutum de his reddendis actum esse: *καὶ τῶν μὲν — —, τῶν δὲ τοῦτο πρῶτον ὑπάρξαι τῆς ὁμονοίας σημεῖον ἀξιούντων.* Sed non probabile est eam rem tam dubiam atque in penuria civitatis tam difficilem tam brevi transactam fuisse. Probabilius quarto anno post triginta viros pulsos, quo haec habita est oratio, etiam infectam rem fuisse. Eodem tempore secundum Nicomacheam l. l. Boeoti *σύλας ἐποιοῦντο*, quod, inquit orator, *οὐ δυνάμεθα δύο τάλαντα ἀποδοῦναι.* Est hoc sane non alibi testatum, sed vero tamen simile. Boeoti enim quum ante muros dirutos acerrimi fuissent hostes Atheniensium (*μὴ σπένδεσθαι ἀλλ' ἐξαιρεῖν* Xen. Hell. II. 2. 5), iam paulo post, perspicientes sine dubio quantum propinqua Lacedaemoniorum potestas ipsis minaretur, ad saniorem mentem redierunt, Lacedaemoniisque ad triginta viros sustentandos auxilia negarunt. Quae gravati sint postea Lacedaemonii perspicitur e Xen. Hell. III. 5. 5: *οἱ μέντοι Λακεδαιμόνιοι ἄσμενοι ἔλαβον πρόφασιν στρατεύειν ἐπὶ τοὺς Θηβαίους, πάλαι ὀργιζόμενοι αὐτοῖς τῆς τ' ἀντιλήψεως τῆς τοῦ Ἀπόλλωνος δεκάτης ἐν Δεκελείᾳ* (finito bello Peloponnesiaco, cf. Just. 5. 11) *καὶ τοῦ ἐπὶ τὸν Πειραιᾶ μὴ ἐθελῆσαι ἀκολουθῆσαι* (Hell. II. 4. 30). *ᾐτιῶντο δ' αὐτοὺς καὶ Κορινθίους πεῖσαι μὴ συστρατεύειν.* Id. III. 2. 25: *καὶ συνεστρατεύοντο τῷ Ἄγιδι πλὴν Βοιωτῶν καὶ Κορινθίων οἵ τ' ἄλλοι σύμμαχοι καὶ οἱ Ἀθηναῖοι* (in expeditione Elea a. 401). Add. in Eratosth. 58. Ac statim post triginta viros institutos decreverunt, nihil curantes Lacedaemoniorum praescripta, ut exsulibus Atticis tutus esset ad se receptus (Plut. Lys. c. 27 sub f., Lys. apud Dion. Halic. 5 p. 594, fr. 78,

Scheib.; Diod. XIV. c. 6) utque ipsi conniverent, si qui per Boeotiam arma in triginta viros moverent (ἐὰν δέ τις Ἀθήναζε διὰ τῆς Βοιωτίας ἐπὶ τοὺς τυράννους ὅπλα κομίζῃ μήθ' ὁρᾶν τινα Θηβαίων μήτ' ἀκούειν. Cf. Pelop. 6). Thebis Thrasybulus cum exigua manu ad liberandas Athenas profectus est. Quae beneficia legati Thebani postea a. 395 Atheniensibus in memoriam revocant III. 5. 8, sqq. Iam vero Thrasybuli conatum a Thebanis etiam pecunia adiutum fuisse probabile est, eamque nunc a Boeotis nequicquam repetitam fuisse. Hoc ipso tempore bellum inter Lacedaemonios et Eleos gerebatur. Nam Xenophon Hell. III. 2. 21 eodem tempore quo Dercyllidas in Asia bellum gereret susceptum significat; Dercyllidas autem successerat Thimbroni, qui imperabat eo tempore quo Κύρειοι redibant, i. e. anno 400 medio. Cf. Clinton. ad a. 400 et in App. II. p. 289, Krüg. Non mirum Thebanos aegre tulisse Athenienses in ea re Spartanis opem ferre, quam ipsi cum Corinthiis recusassent (Hell. l. l. 25). Nunc igitur Boeoti raptis Atheniensium bonis res repetunt (σύλας ποιοῦνται). Paucis annis post (395) recruduit simultas contra Lacedaemonios et viribus quodammodo recuperatis ausae sunt Athenae societatem cum Thebanis inire (Hell. III. 5. 16).

De navalibus murisque quae dicuntur (τοὺς δὲ νεωσοίκους καὶ τὰ τείχη περικαταῤῥέοντα) nulla indigent explicatione, quum constet muros anno demum 393 a Conone fuisse restitutos.

Sectione 14 Strombichides et Calliades dicuntur a triginta viris interfecti. Strombichiden autem Lysias 13. 13 commemorat cum Dionysodoro: προσιόντες δ' αὐτῷ (Therameni Sparta redeunti) τῶν τε στρατηγῶν τινες καὶ τῶν ταξιάρχων, ὧν ἦν Στρομβιχίδης καὶ Διονυσόδωρος, καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν πολιτῶν εὖνοι ὄντες ὑμῖν, ὥς γ' ἐδήλωσαν ὕστερον, ἠγανάκτουν σφόδρα. Quo specimine benevolentiam erga populum ostenderint, collata § 39 et all. dubium esse non potest; quemadmodum enim Dionysodorus, de quo diserte hoc refertur,

sic Strombichides capite damnatus esse significatur. De Calliade, quem nobili classium duci Strombichidi (cf. Thuc. VIII, passim) adiungit, nihil notum est, nisi quod filius fuisse potest Calliae Calliadis filii, qui dux fuit ad Potidaeam (Thuc. I. 61). Quod a Xenophonte uterque omittitur non mirum. Omnino historia triginta virorum in Hellenicis admodum lacunosa est, sive quod in recenti rei memoria ignes sub cinere latentes suscitare noluit Xenophon (nam priorem Hellenicorum partem multo ante alteram, quae incipiat a libro tertio, scriptam esse Niebuhrio assentior), sive quod ad liberationem patriae describendam, laetiorem illam materiam, animus properabat. Sed multo plura, quam fecerit, eum narrare potuisse, apparet ex oratione Theramenis (II. 3. 39, sq.), quem strictim facit memorantem necem Leontis et Nicerati et Antiphontis, de quibus ipse tacuerat. Et omisit praeter Calliadem et Strombichidem Dionysodorum, Archeptolemum (Lys. 12. 67), Autolycum (Diod. XIV. 5). Non melius se res habet in Diodoro. Strombichidem virum bello clarum (cf. Thuc. VIII. 62 et al.) si Xenophon et Diodorus omiserunt, quid miramur si obscuriorum hominum Agorati et Nicomachi nulla apud illos mentio exstat?

Sectione 28 legislatorem una cum Nicomacho dicit Tisamenum Mechanionis filium; recte secundum psephisma apud Andocidem 1. 83, ubi Tisamenus tulisse dicitur de creandis nomothetis. Quod ibidem Themistocles et Pericles olim nomothetas creatos dicit non imperitiae oratoris adscribendum, sed studio carpendi Nicomachum per illam oppositionem.

Illa igitur, quae § 14, 22, 28 ex rebus aequalibus memorantur aut aliunde nota sunt, aut facile cum notis conciliari possunt; reliqua quae cum historia aut consuetudine civitatis pugnare videntur caute ut adhibeantur, si de auctore quaeratur, suadet exaggerandi studium cum reliquis oratoribus Lysiae commune. Aliquod haberent momentum, si etiam orationis forma et color bonum oratorem dedecere videretur. Res igitur potissimum vertitur in sermone explorando.

De ea re autem iudicari non poterit, antequam quid a librariis pessumdatum sit, quantum fieri possit a reliquis separaverimus. Itaque (utor Scheibi recensione) haec fere corrupta remanserunt:

§ 3. Eo redacti eramus, inquit, *ὥστ' ἐκ τῆς τούτου χειρὸς τεταμιευμέθα τοὺς νόμους*. Sententia: ut huius manui acceptas referremus leges. Necessarium est plusquamperfectum *ἐτεταμιεύμεθα*. De augmento cf. Herodianus ap. Herm. de em. rat. Gramm. Gr. p. 311: *εἰσὶν οἳ σφάλλονται λέγοντες δεδώκειν, ὡς ἐπεποιήκειν. παντὸς γὰρ παρακειμένου ῥήματος ἀπὸ συμφώνου ἀρχομένου ὁ ὑπερσυντέλικος προςλαμβάνει τὸ ε. οἷον νένυχα, ἐνενύχειν καὶ βέβληκα, ἐβεβλήκειν· οὕτω καὶ ἀπὸ τοῦ δέδωκα ἐδεδώκειν*. Apud Aristophanem, modo aphaeresin observes, nusquam ab hac regula aberratur; quare iis locis ubi in libris augmentum neglegitur, tuto potest addi, ut factum Xen. Hell. IV. 5. 4: *ἀνεβεβήκεσαν* et V. 3. 1: *κατεδεδραμήκεσαν*.

§ 4. *καὶ γάρ τοι, ὦ ἄνδρες δικασταί, — ὁποίαν καὶ νῦν τὴν ἀρχὴν κατεστήσατο*; Legendum fortasse: *ὁρᾶθ' οἵαν*. Facile enim aliquot litterae excidere potuerunt.

Ib. *καὶ ὅσα διαχειρίσας μόνος οὗτος τῶν ἀρξάντων εὐθύνας οὐκ ἔδωκεν*. Ne hoc quidem auctoris *σφάλμα*, sed librariorum. Leg. *καὶ ὅσα οὐδεὶς πώποτε διαχ.* Lacunam animadvertit Reiskius.

§ 6. Animadvertatur velim resumi hoc loco quae ab initio dicta sunt; graviter illa hac *ἀνακεφαλαιώσει* repetuntur; quare mihi quidem nimis tenue videtur quod hodie ex coniectura in fine adscitum est *ποιήσασθε* pro *ποιήσασθαι*. Hoc reponendum opinor. Locum longiorem non exscribo, sed monitus opinor quisque sentiet *ποιήσασθε* pugnare numero oratorio, eoque posito *αὐτὸν κολάσαι* nescio quomodo frigeret.

§ 7. De sententia loci *τούτων* (Palat. *τῶν*) *τοιαῦτα λεγόντων ἐκ τῶν τετρακοσίων πλεῖν ἢ χίλιοι γενήσονται* constat, de verbis, quibus usus sit auctor, pugnatur. Requiras: „his talia obtinentibus vel approbantibus," utique fortius verbum

quam λεγόντων, veluti λοιδορούντων, διαβαλλόντων, συκοφαντούντων, aut ὑπὸ τῶν τὰ τοιαῦτα λεγόντων. Sed corruptum esse locum, nec inepto rhetori haec deberi, tam lectio Palatini, quam sententia bona et apta iis temporibus, quibus nullum crimen magis temere iactabatur quam communio imperii cccc et xxx virorum, probant. In proximis mallem abesse οἱ ante διαβάλλειν. Ipsi illi calumniari studebant.

§ 8. δεινὸν δέ μοι δοκεῖ εἶναι κ. τ. ἑ. Argumentatio est „coniecturalis," neque tamen propterea Lysia indigna. Cf. 24. 9.

§ 9. ἔτι δ' οἶμαι θαυμαστὸν νομίζω. Postremum vocabulum delendum. Ὡς ἀδικοῦσι recte emendatum a Kaysero.

§ 10. τὴν βουλὴν ἐλοιδόρει, φάσκων συνεστάναι. Ne quis desideret additamentum aliquod veluti ἐπ' ὀλέθρῳ τῆς πόλεως aut sim., cf. Dem. in Aristog I (25) 64: ἐγὼ μόνος εὔνους ὑμῖν· πάντες οὗτοι συνεστᾶσι, προδέδοσθε. Arist. Equ. 862: καί μ' οὐ λέληθεν οὐδὲν ἐν τῇ πόλει ξυνιστάμενον („nulla coniuratio").

§ 13. εἰκὸς τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἐνθυμεῖσθαι καὶ ὁπόσοι ὑμῶν ἐνόμιζον. De Cleophonte cf. 13. 8, 9, 12. Καί abesse debet; ad eos tantum admonitio pertinet, qui malum civem Cleophontem putabant, non ad reliquos. Demonstrativum omissum ut 22. 21, 23. 4.

§ 15. Καί ante τῆς εὐνοίας delendum.

§ 16. Defendi potest ἔτι δὲ καί in fine huius sectionis; nam in proxime praegressis de alia re sermo est, quam in his. Per verba ὧν μὲν ἄκων ἔπαθε respicitur ad exsilium, quod non sponte sua susceperat, de quo in proximis dictum non erat. Recte igitur se habet ἔτι δὲ καί, *et praeterea*, nec opus ut scribatur καίτοι, quod sollemne est in enthymemate ex proximis ducto. Ratio argumentandi oratore Attico digna est. Cf. 31. 24 sub f.

§ 17. Non perspicua sunt verba εἰ νόμους ἐτίθην περὶ τῆς ἀναγραφῆς. Hoc vult, opinor: iniuria mihi obiicit Nicomachus, quod cultum deorum imminuo; si de rescribendis et mutandis legibus sacris ferrem, vera diceret, ita in religionibus

deorum aliquid novarem et fortasse de honoribus maiorum instituto debitis detraherem; nunc vetera et usu probata tueor· Acerbe haec in adversarium coniici videri possent, si ipse N. de ἀναγραφῇ tulisset, sed id cum secus sit, nihil adiuvant sententiam verba illa περὶ τῆς ἀναγραφῆς. Turbant potius intellectum et melius abessent.

§ 18. Leg. τῆς τύχης γ' ἕνεκα.

§ 19. Iniuria suspectum Bergkio ἔπειτα in his: ἀξιῶ πρῶτον μὲν κατὰ τὰ πάτρια θύειν, ἔπειθ' ἃ μᾶλλον συμφέρει τῇ πόλει, ἔτι δ' ἃ ὁ δῆμος ἐψηφίσατο καὶ δυνησόμεθα δαπανᾶν ἐκ τῶν προςιόντων χρημάτων. Non tria genera sacrificiorum recensentur, sed tres causae, quare patria instituta praestent; colenda sacra a se commendata dicit primum quod a patribus tradita sint, tum quia magis utilia, denique quod eadem a populo confirmata sint nec vires civitatis superent. Postrema pertinent ad συγγραφάς (§ 21), quibus de ratione et modo in patriis sacris observando praescriptum erat. Sed δαπανᾶν non recte se habet; non enim ἐδαπάνων τὰς θυσίας sed εἰς τὰς θυσίας. Ab interprete adiectum videtur, qui supplere scilicet haec conabatur, quae nullo supplemento indigent; ad ἃ ὁ δῆμος ἐψηφίσατο καὶ δυνησόμεθα ἐκ. τ. πρ. χρ. cogitatione repetitur θύειν. Inspice superiora ἀξιῶ — θύειν. Ad rem tractatam illustrandam operae pretium erit conferre Isocratem 7. 29, 30.

§ 22. εἰδὼς δ' ὅτι ἡ βουλὴ ἡ βουλεύουσα. Sluiterus Lectt. And. p. 276 coniecturam suam ἡ ἀεὶ βουλεύουσα, quae mihi vera videtur, docte illustravit; est „senatus ille, qui singu„lis annis hoc munere fungitur." Non oportet quotannis denuo recens designatum senatum incusare (ἀεί = ἑκάστοτε). Βουλή est senatus unius anni. Ita 24. 26 αἱ ἄλλαι βουλαί reliquorum annorum; ἡ προτέρα β. superioris anni, 22. 9.

§ 23. Verba προςέχουσι τὸν νοῦν — ἢ πλείω ἠδίκηκεν (§ 24) quod conveniant cum Epicratea § 5, et mentio κλοπῆς nimis sit abrupta, Dobreus inde huc illata suspicatur. Sed quae relinquuntur ita minime cohaerent, potius usque ad λαμβά-

νητε verba possent eiici, et ea fuisse videtur ipsius Dobrei sententia, ab editore Adversariorum non satis intellecta. Sufficiet comparasse sectiones 1, 25, 26, ut appareat Nicomachum, etsi peculatus crimen ei obiici non posset, tamen corrumpi se passum esse, quare eius absolutio fures aerarii poterat audaciores facere. Excidisse autem coniunctionem post *προςέχουσι* certum puto. Reliquis probabilius Weyers. *προςέχουσι δὲ καί.* Optime dicta § 24: *τίς οὖν* et quae sequuntur.

§ 25. Unus Nicomachus pecuniam acceperat. Itaque pro *οὗτοι* scrib. *οἱ.* In eadem sectione vocabula *καὶ τῶν ἱερῶν* suspecta sunt; non enim recte opponuntur *οἱ νόμοι* et *τὰ ἱερά.* Aut illa omittenda aut, *ἀν. τῶν θ' ὁσίων καὶ τῶν ἱερῶν* scribendum.

§ 27. *ὡς, ἐὰν νῦν αὐτοῦ φείσησθε, αὖθις ἀποδώσει τὰς χάριτας.* Pertinent ad *διὰ τί δ' ἂν τις ἀποψηφίσαιτο τούτου,* § 26. Haud scio an Graecum non sit *διὰ τοῦτο ἀποψηφίζομαι αὐτοῦ, ὡς ἀποδώσει,* quamvis in simili sententia 14. 41 idem legatur. *Ὡς semper* usurpatur in re cogitata, non in re ipsa (per se), sed qualis esse creditur, aut ut verbo dicam: particula subiectiva est. Pro *ὅπως* autem *ὡς* cum futuro indicativi raro iungitur; est ubi *ὅπως* restituendum videatur, ut 31. 24. Diversi loci sunt, ubi est post *μέλει, ποιεῖν* Xen. CP. III. 2. 13, Dem. 5. 24. Hoc loco legendum fortasse *ἀποδώσοντος.* Variatur in his sectionibus structura: *διὰ τί δ' ἂν τις ἀποψηφίσαιτο τούτου; πότερον ὡς ἀνδρὸς ἀγαθοῦ; — ἀλλ' ὅτι χρήματα δεδαπάνηκε; ἀλλὰ διὰ τοὺς προγόνους; — ἀλλ' ὡς — αὖθις ἀποδώσοντος τὰς χάριτας;* Loco modo ex 14 laudato *ὡς* omittendum.

§ 28. *καὶ τὰς μὲν ἀρχὰς ὑπὸ τῶν τοιούτων ἡγεῖσθε διαφθείρεσθαι, αὐτοῖς δὲ τούτοις πιστεύετε.* Cum Dobreo legendum *αὐτοί.*

§ 30. Concinnior esset oppositio si pro *ὑπέρ* legeretur *ὑπό,* idque in his artificiosis antithetis reponendum puto. *Ὃν ἔδει ὑπὸ τοῦ δήμου κρίνεσθαι, οὗτος τὸν δῆμον συγκαταλύ-*

σας φαίνεται, ipsum illum populum, a quo periculum ei imminebat, eiecit, non a populo damnatus est, sed populus ab ipso eiectus. Ex Dobrei sensu friget κρίνεσθαι, verum fortius vocabulum nunc non requiritur, oppositis ὑπὸ τοῦ δήμου et τὸν δῆμον.

§ 31. περὶ μὲν τούτων — περὶ δὲ τῶν ἐξαιτησομένων. Leg. τουτουΐ. Porro τινὲς καὶ τῶν φίλων καὶ τῶν τὰ τῆς πόλεως πραττόντων sic dicitur, ac si duo diversa hominum genera intellegantur (καί — καί). Fortasse πιπρασκόντων legendum pro πραττόντων. Partim amicitiae causa, partim corrupti pecunia deprecabantur.

§ 32. Suspicatur Dobreus legendum esse: δεινόν, — εἰ τούτου μὲν ἑνὸς ὄντος καὶ οὐδὲν ὑπὸ τῆς πόλεως ἠδικημένου οὐκ ἐπεχείρησαν πεῖσαι ὡς χρὴ παύσασθαι εἰς ὑμᾶς ἐξαμαρτάνοντα, ὑμᾶς δὲ τοσούτους ὄντας καὶ ἠδικημένους ὑπὸ τούτου ζητοῦσιν, ὡς οὐ χρὴ δίκην παρ' αὐτοῦ λαμβάνειν, ita ut post ζητοῦσιν ex superioribus intellegatur πεῖσαι. Sed tum ζητοῦσιν alio loco exspectarem, veluti post ὑμᾶς δέ. Praeterea coll. in Alcib. I. (14) 20: ἀξιῶ δ' ὦ ἄνδρες δικασταί — ὀργίζεσθαι ὅτι τούτου μὲν οὐκ ἐπεχείρησαν δεηθῆναι — ποιεῖν τὰ ὑπὸ τῆς πόλεως προςταττόμενα, ὑμᾶς δὲ πείθειν πειρῶνται ὡς οὐ χρὴ παρὰ τῶν ἀδικούντων δίκην λαμβάνειν lectio οὐκ ἐπεχείρησαν δεῖσθαι (ita enim codd.) et coniectura ζητοῦσι πείθειν ὡς satis praesidii habent. In lectione Scheibi igitur ὡς χρή post δεῖσθαι est omittendum; reliqua recte se habent. Sic etiam Cobetus. Conveniunt quae hic leguntur non tantum cum orationis in Alcibiadem l. l., sed etiam cum proxima (κατὰ Φίλωνος, 31), § 32, sq.

§ 33. χρὴ τοίνυν, ὥσπερ ἂν τούτους ὁρᾶτε προθύμως σώζοντας τοὺς φίλους, οὕτω καὶ ὑμᾶς τοὺς ἐχθροὺς τιμωρεῖσθαι, εὖ εἰδότας ὅτι τούτοις πρώτοις ἄνδρες ἀμείνους δόξετ' εἶναι, ἐπὰν παρὰ τῶν ἀδικούντων δίκην λαμβάνητε. In his ἂν (ante τούτους) delendum; nemini persuadebit Scheibius propemodum necessarium esse et iungendum cum σώζοντας, „ne deprecatores illi vere Nicomachum servaturi" videantur. Σώζω, ut δίδωμι, πείθω

et multa alia conatum actionis significat. In Cobeti et Scheibi (ed. 1) lectione αὐτοὺς τούτους otiosum mihi videtur αὐτούς. In reliquis quae inest sententia similis est ei, quam invenimus in oratione κατὰ Φίλωνος (31) 33: μόνος δή, ὦ βουλή, δικαίως οὐδ' ἂν ἀγανακτοίη μὴ τυχών, nim. Philo, de quo δοκιμασία habetur. „Solus hic est, qui (quum vos olim in „periculis deseruerit) ne ipse quidem iure possit aegre ferre, „si voti compos non fuerit." Τούτοις πρώτοις pertinet ad deprecatores. Sed mirum quodammodo est incitamentum ad severitatem; isti si studiose et serio (προθύμως) defenderent Nicomachum, non exspectari poterat, ut ante omnes reliquos laudarent condemnationem. Tum etiam reliquos commemorari par erat quorum iudicium pluris faciendum esset quam deprecatorum. Fortasse in τούτοις πρώτοις aliud quid latet, quale in Agoratea § 97: ἔπειτα τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις δόξετε δίκαια καὶ ὅσια ψηφίσασθαι (ut scriptum olim fuerit τοῖς π... ρώποις), aut quaedam post πρώτοις exciderunt.

His igitur emendatis, aut certe, utpote corruptis, in iudicio ferendo sepositis, nihil invenio, quod Lysiae rationi repugnet. Inveniuntur sane in Epicratea et Prima in Alcibiadem nonnullis locis eadem atque in Nicomachea, sed primum illae orationes nihilo meliores sunt nostra; tum quod loci communes inveniuntur nullam habet vim demonstrandi nisi simul ostendatur, alieno loco esse interpositos, ut prodant dormitantem aut ineptum rhetorem, qui locos undecunque congerat, ut iustum ambitum declamatio accipiat. Tale quid equidem nusquam hic deprehendo, nec alii deprehenderunt, si recedas a Dobreo, cui transitus ad furtum § 23 nimis abruptus videbatur; idem tamen in universum orationem probat (cf. ad init. p. 255). In reliquis sunt acerba et acuta. Non sunt rhetoricae declamationis similia § 7 τῶν τοιαῦτα λεγόντων κ. τ. ἑ, quae ex temporis opportunitate hausta optime illustrantur et comprobantur oratione vicesima quinta; § 13: εἰκὸς τοίνυν ἐνθυμεῖσθαι κ. τ. ἑ.; § 24: τίς οὖν τῶν, κ. τ. ἑ. Acerbissima sunt sed vera quae de se-

natu quingentorum dicit § 22 (cf. ad 19. 11); item quae § 26 et 27; ea sic nexa sunt causae, ut ex alia oratione peti non potuerint. Et § 8 sub fin. et 16 sub fin. habent eam rationem demonstrandi, quae Atticis maxime est propria. Unum, quod rhetorem arguat sunt haec ὁμοιοτέλευτα § 21: ὅταν μὲν κατὰ τὰς συγγραφὰς ποιῶμεν, ἅπαντα τὰ πάτρια θύεται, ἐπειδὰν δὲ κατὰ τὰς στήλας ἃς οὗτος ἀνέγραψε, πολλὰ τῶν ἱερῶν καταλύεται, et πάρισα ib. καίτοι οὗτος ὁ ἱερόσυλος περιτρέχει, λέγων ὡς εὐσέβειαν ἀλλ' οὐκ εὐτέλειαν ἀνέγραψε. Huc referri possunt § 29: Νικόμαχον εἵλεσθ' ἀναγράφειν τὰ πάτρια, ᾧ κατὰ πατέρα τῆς πόλεως οὐ προςήκει et § 31: ὧν ἐγὼ ἡγοῦμαι ἐνίοις προςήκειν ὑπὲρ τῶν ἑαυτοῖς πεπραγμένων ἀπολογεῖσθαι πολὺ μᾶλλον ἢ τοὺς ἀδικοῦντας σώζειν προαιρεῖσθαι. Secundum Theophrastum Lysias in oratione pro Nicia dixerat: κλάω τὸν ἀμάχητον καὶ ἀναυμάχητον ὄλεθρον et alio loco (nam haec cohaerere cum superioribus non videntur): ἱκέται μὲν αὐτοὶ τῶν θεῶν καθίζοντες, προδότας δὲ τῶν ὅρκων ἡμᾶς (leg. ὑμᾶς) ἀποφαίνοντες, ἀνακαλοῦντες συγγένειαν, εὐμένειαν (ap Dion. Hal. de Lys. c. 14 p. 483, Reisk.). Quae inepta sunt, ut nil supra. Sed non obliviscendum puto pertinere haec ad aetatem nostris orationibus antiquiorem, qua inficetam Siculorum artem Lysias consectatus sit. Utique veram non existimo defensionem; equidem nescirem, utrum ineptiorem dicerem Lysiam, qui haec scribere potuerit an Niciam, qui in mortis periculo haec pronunciare voluerit; fuisse videtur potius declamatio e ludo. Sed quidquid hoc est ex superiore illa aetate aliquid adhaesisse potest. Similia utique invenimus in proxima oratione κατὰ Φίλωνος. Sed maxime tenendum lusum illum in εὐτελείᾳ et εὐσεβείᾳ ab oratore tanquam Nicomachi dictum proferri; ipsius enim Nicomachi haec verba esse fidem facit § 24, ubi Nicomachus annumeratur τοῖς δυναμένοις λέγειν. Rhetorum more Nicomachus in illa paronomasia admodum sibi placens perpetuo verba ista in ore habebat. Subineptum est θύεται — λύεται. Nam vix hoc fortuitum esse potest. Reliqua eius

generis sunt, ut euphoniae studioso oratori facile potuerint excidere, nec improbanda.

Subductis rationibus nihil video equidem, quod Lysiae stilum dedeceat. Quod quaedam ab historia recedunt, in eam partem erit interpretandum, ut callidum potius causarum patronum quam probum virum se praestet.

### XXVIII. ΚΑΤ' ΕΡΓΟΚΛΕΟΥΣ ΕΠΙΛΟΓΟΣ.

Ergocles Thrasybuli in ultima eius expeditione socius et amicus iisdem, quibus ille criminibus teneri dicitur (§ 6 et 8); sed Thrasybulum inter bellum mors occupaverat a. 389, Ergocles domum revocatus causam dicere cogitur. Apud Xenophontem Hell. IV. 8. 25—30 quae leguntur faciunt ut fidem habeam iis, quae de sociis direptis in hac oratione § 17 dicuntur. Nam quum in Teleutiam Rhodum tenentem missus esset Thrasybulus, primum, ut pecuniam sibi pararet, Byzanti portorium a navibus ex Hellesponto advectis exigendum locavit (§ 27), tum Lesbum expugnans spem militibus pecuniae ostentat (§ 28), denique Rhodum, et deinde Aspendum in Pamphyliam vectus, ubique tributa a civitatibus exigit (§ 30). Neque tamen hoc egisse censendus est ad se locupletandum, qualis suspicio non convenit in mores viri, cum ab aliis, tum a Xenophonte, parce ceteroquin Athenienses in Hellenicis laudante, celebrati ib. § 31: *καὶ Θρασύβουλος μὲν δὴ μάλα δοκῶν ἀνὴρ ἀγαθὸς εἶναι οὕτως ἐτελεύτησεν.* Sed fecisse potius videtur ad alendum exercitum, cui necessaria domo non satis fuerint suppeditata. Verba Lysiae § 8: *Θρασύβουλος μὲν οὖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, (οὐδὲν γὰρ δεῖ περὶ αὐτοῦ πλείω λέγειν) καλῶς ἐποίησεν οὕτω τελευτήσας τὸν βίον* consulto obscura sunt et ambigua, ut suspicio spargeretur Thrasybulum imminens periculum voluntaria morte praevertisse. Et simili calliditate in reliquis quoque criminibus sine dubio orator versatus est. Nam Byzanti occupatio, quam a Thrasybulo et Ergocle factam esse dicit

orator *postquam* Ergocles iussus esset causam Athenis dicere, ut scilicet minas et calumnias civium contemnere possent, pertinet ad *prima* expeditionis facta; cf. Xen. l. l. (brevius Diodorus 14. 94); et sibi occupasse Thrasybulum Byzantium non est probabile, si conferas Xenophontis relationem qui *μετέστησεν*, inquit, *ἐξ ὀλιγαρχίας εἰς τὸ δημοκρατεῖσθαι τοὺς Βυζαντίους, ὥστ' οὐκ ἀχθεινῶς ἑώρα ὁ τῶν Βυζαντίων δῆμος Ἀθηναίους ὅτι πλείστους παρόντας ἐν τῇ πόλει* (§ 27); tum quod dicitur Ergocles civitates prodidisse (*πόλεις προδεδωκώς*) eidem exaggerandi studio adscribo; nihil fortasse commisit, quam quod in tempore sociis urbibus non subvenerit. Ceterum Ergocli crimen aliquod capitale velut peculatus iure obiectum fuisse quis infitias ire audeat? Damnatus est utique; duces autem male sustentatos domesticis opibus subinde aegre tulisse, si a populo reprehenderentur, et non semper civibus qui domi erant obsequium praestitisse historia temporum subsecutorum satis docet; malum ab his initiis profectum ita deinde grassatum est, ut Chares et Charidemus etiam exteris civitatibus operam suam locarent.

Ergoclis crimina plura commemorantur peculatus, sociorum vexatio, contumacia erga magistratus, cf. § 1, 3, 5, 11, 17. Etiam *δήμου καταλύσεως* crimen ei obiiciendum esse evincere conatur orator § 11: *ὅστις ἐν τοσαύτῃ ἀπορίᾳ τῶν ὑμετέρων πραγμάτων ἢ πόλεις προδίδωσιν ἢ χρήματα κλέπτειν ἢ δωροδοκεῖν ἀξιοῖ, οὗτος καὶ τὰ τείχη καὶ τὰς ναῦς τοῖς πολεμίοις προδίδωσι καὶ ὀλιγαρχίαν ἐκ δημοκρατίας καθίστησιν*, de quibus omnibus per *εἰςαγγελίαν* (*διὰ τὴν πρώην ἐκκλησίαν* § 9) agitur. Oratio est vere Lysiaca, ut dictionis proprietas optime docet. Non a Lysia abhorret hyperbole § 1 *ὥστ' οὐκ ἄν μοι δοκεῖ δύνασθαι Ἐργοκλῆς ὑπὲρ ἑνὸς ἑκάστου τῶν πεπραγμένων αὐτῷ πολλάκις ἀποθανὼν δοῦναι δίκην ἀξίαν τῷ ὑμετέρῳ πλήθει*, cf. 12. 37; sectione 2 *ὀργίζεσθαι*, *severum se iudicem praebere*, cf. ad 26. 14; § 5 *ἄλλως τε καί* initio sententiae positum, cf. ad 19. 13, p. 138; § 6 *ἵνα* initio directae orationis: *ἵν' αὐτῶν ἐκκόψῃς, ἔφη, τὰς συκο-*

*φαντίας* coll. 1. 12 *ἵνα σύ γε, ἔφη, πειρᾷς ἐνταῦθα τὴν παιδίσκην*; § 7 *οὗτος* relatum ad subiectum verbi regentis, ubi de reo agitur *ἡγοῦνται — ὑμᾶς — ἡσυχίαν πρὸς τούτους ἕξειν* cf. ad 25. 23, p. 182. Haec igitur plane Lysiaca sunt. Dispositio admodum simplex; et omnino tam brevis est oratio, ut accusationi sufficere non potuerit. Inscriptio docet epilogum esse; ceterum tam fragmentum esse potest longioris orationis, quam ultima ex pluribus in eadem causa a pluribus accusatoribus habitis.

§ 4. *οἶμαι δ' ἔγωγε πάντας* (*ἂν* add.) *ὑμᾶς ὁμολογῆσαι, εἰ ὑμῖν ἐπηγγέλλετο τριήρεις ἔχων ἐκπλεύσεσθαι καὶ ταύτας παλαιὰς ἀντὶ καινῶν παραδώσειν — οὐδέν' ἂν ὑμῶν ἐπιτρέψαι τὰς ναῦς ἐκεῖνον ἔχοντ' ἐκπλεῦσαι.* Sententia est: si antea, quo tempore hinc vela dabat Thrasybulus, *novissetis*, quae commissurus esset, profecto imperium ei non mandavissetis. Sed his non respondet *ἐπηγγέλλετο*: *si (nunc) promitteret.* Scribendum: *ἐπήγγελτο.* Sic Cobetus quoque, quod his scriptis animadverti.

§ 7. Non mirer si subiectum exciderit in his verbis *ἅμα γὰρ πλουτοῦσι καὶ ὑμᾶς μισοῦσι*, nempe *οὗτοι* post *πλουτοῦσι.* Nam Thrasybulus et Ergocles non intelleguntur, quum ille iam mortuus esset. Ergocles, qui nunc accusatur, et alii duces, Thrasybuli nuper socii (cf. 5) infra § 10 quoque per *οὗτοι* significantur.

§ 9. Verba *καὶ πολλοὺς Ἀθηναίων ἀργυρίῳ διαφθείρειν* languida sunt post illa *ὁρῶ δ' αὐτούς — ἀνουμένους τὰς αὐτῶν ψυχὰς καὶ παρὰ τῶν λεγόντων καὶ παρὰ τῶν ἐχθρῶν* (*ἀρχῶν* Dobr.) *καὶ παρὰ τῶν πρυτανέων.* Speciem habent interpretationis. Etiam infinitivus post *ὁρῶ* non recte se habet.

§ 10. *νυνὶ γὰρ τοῖς ἄρχουσι τοῖς ὑμετέροις ἐπιδείξετε πότερον χρὴ δικαίοις εἶναι, ἢ ὡς πλεῖστα τῶν ὑμετέρων ὑφελομένοις τῷ αὐτῷ τρόπῳ τὴν σωτηρίαν παρασκευάζεσθαι, ᾧπερ οὗτοι νυνὶ πειρῶνται.* Soloecus est dativus post *χρή*. Praeterea *χρή* ad alterum membrum non aptum est; numquam enim *decet ὑφελόμενον τὴν σωτηρίαν παρασκευάζεσθαι.* Omittenda videntur

verba *πότερον χρή* addita, ut videtur, ab interprete, qui constructionem optime Graecam *ἐπιδεῖξαί τινι δικαίῳ εἶναι* non intellegeret. Eodem modo *παράδειγμα ποιήσετε τοῖς ἄλλοις δικαίοις εἶναι, παρὰ τούτου δίκην λαβόντες*, 27. 6 et *καταδεῖξαι* Arist. Av. 501, Ran. 1032.

§ 12 *ἐγὼ δ' ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, οὐ τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχω περὶ τῶν τοιούτων* ex Sauppi coniectura nunc scribitur. Id non significat, ut volunt: „non *idem sentio* de omnibus qui „in urbe manserunt," sed: „de talibus rebus non *assentior*." Sententia, quae desideratur, inesset, si *πάντων* accederet ut 26. 16: *ὁ δῆμος οὐ τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχει περὶ πάντων τῶν ἐν ἄστει μεινάντων*. In MS. pro *οὐ τὴν αὐτήν* legitur *τοιαύτην* (om. *οὐ*). Florentinus omisit *ἀλλά* in sqq., recte, opinor. Nihil est quod reprehendi possit in his: *ἐγὼ δ' ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοιαύτην γνώμην ἔχω περὶ τῶν τοιούτων· ὅσοι μὲν ἐλευθερίας κ. τ. ἑ.* De sequentibus vere Dobreus: „*οὐ πονηρούς* Attica *λιτότητι* possis utcunque defendere, ut sit pro „*ἀγαθούς*. Sed quinam sunt illi alteri, *ἐκείνων φυγήν*? In„crustare facile *ἐκείνην τὴν φυγήν*. Sed videtur excidisse „membrum periodi." Totum igitur locum sic constituit: *ὅσοι μὲν ἐλευθερίας καὶ τοῦ δικαίου ἐπιθυμοῦντες καὶ τοὺς νόμους ἰσχύειν βουλόμενοι καὶ τοὺς ἀδικοῦντας μισοῦντες τῶν ὑμετέρων κινδύνων μετέσχον [πάσης τιμῆς καὶ χάριτος ἀξίους νομίζω· ὅσοι δὲ αὐτοῖς μὴ συνεκινδύνευον μέν, ὅμως δὲ ὅσον ἐδύναντο ὠφέλουν] οὐ πονηροὺς εἶναι πολίτας, οὐδὲ ἀδίκως τούτοις φημὶ ἂν εἶναι ὑπόλογον τὴν ἐκείνων φυγήν*. Tale quid excidisse puto; ipsa verba nemo praestabit. In iis quae proxime sequuntur *ὅσοι δὲ κατελθόντες ἐν δημοκρατίᾳ τὸ μὲν ὑμέτερον πλῆθος ἀδικοῦσι, τοὺς δ' ἰδίους οἴκους ἐκ τῶν ὑμετέρων μεγάλους ποιοῦσι, πολὺ μᾶλλον αὐτοῖς προσήκει ὀργίζεσθαι ἢ τοῖς τριάκοντα* scribendum *προσήκειν*. Sectione 14 *ὡς — ποιήσουσι* iam correxit Cobetus.

§ 15. *ὅταν γὰρ ἡγησώμεθα σωτηρίας ἀντειλῆφθαι, δεινότερ' ὑπὸ τῶν ἡμετέρων ἀρχόντων πάσχομεν ἢ ὑπὸ τῶν πολεμίων*. *Ἡγησώμεθα* ferri non potest, nisi sequatur futurum. Legendum *ἡγώμεθα*. Cobetus *ὅτε γὰρ ἡγησάμεθα*. Sed non asse-

quor, quid in hac lectione sibi velit praeteritum ἡγησάμεθα.

Ib. καίτοι πάντες ἐπίστασθε ὅτι οὐδεμία ἐλπὶς σωτηρίας ὑμῖν δυςτυχήσασιν. Non necessarium quidem, sed tamen aptum foret ὑμῖν νῦν δ. Explicanda haec sunt ex § 11 : ὅστις ἐν τοσαύτῃ ἀπορίᾳ τῶν ὑμετέρων πραγμάτων, ex quibus apparet a. 389, quo haec oratio habita est, vires civitatis perquam attritas fuisse. Dum dicit eam esse condicionem civitatis, ut si quid secus acciderit, actum sit de eius integritate, auget sane periculum. Cf. etiam § 7 : πάντα πράττειν, ὅπως ὑμεῖς ἐν τοῖς δεινοτάτοις κινδύνοις (cf. 14) καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἔσεσθε.

Δὶς ταὐτὸν ἡμῖν εἶπε Lysias in his § 16: οὐδεμίαν ὑμῖν εἴσονται χάριν, ἀλλὰ τοῖς ἀνηλωμένοις καὶ τοῖς χρήμασιν οἷς ὑφῄρηνται· ὥστε τὴν μὲν ἔχθραν ὑμῖν αὐτοῖς καταλείψετε, τῆς δὲ σωτηρίας ἐκείνοις εἴσονται χάριν. Nam ἐκείνοις refertur ad illa ἀνηλωμένα καὶ χρήματα. Nihil praecedit aliud, quo referri possit.

In fine haec leguntur: ἄξιον — παρὰ τῶν ἀδικούντων τὴν δίκην λαβεῖν. Urget extremum supplicium esse sumendum. Excidit ἐσχάτην ante δίκην. Cf. initio sectionis: ἂν μὲν παρὰ τούτων τὴν μεγίστην δίκην λάβητε.

### XXIX. ΚΑΤΑ ΦΙΛΟΚΡΑΤΟΥΣ. ΕΠΙΛΟΓΟΣ.

Altera pars inscriptionis (ἐπίλογος) manifesto falsa est; statim enim ab initio totidem verbis neminem esse praeter se accusatorem orator testatur (ὧν οὐδεὶς νυνὶ φαίνεται). Apparet igitur nullam orationem fuisse pronunciatam praeter hanc. Iam vero exspectari debet, ut quid velit accusator perspicue et plene dicatur, utque demonstratio, quamvis brevis et astricta, tamen sit gravis atque subtilis. Sed neutrum fit. De accusatione tanquam de re nota (τῇ ἀπογραφῇ) sermo est (§ 1); tum (§ 3) summatim refertur de consuetudine, quae inter Ergoclem, cuius bona publicata spe fuerant minora, et Philocratem, a quo nunc Ergoclis bona per ἀπο-

γραφήν repetuntur, obtinuerat, ut appareat re vera bona Ergoclis a Philocrate nunc possideri et iure ab eo exigi; sed tam paucis verbis, ut vel per temporis momentum minus attentum iudicem potior pars demonstrationis effugeret necesse esset. Et quis post breves illas interrogationes non exspectet, ut familiaritas horum virorum inter se, ex qua omnis demonstratio petenda erat, amplius deinceps exponeretur? Tota causa in hoc vertitur: Philocrates fuit familiarissimus Ergoclis; ex Ergoclis re familiari proscripta minus in aerarium rediit, quam habere illum notum erat; igitur a Philocrate repetenda sunt, quae desunt. Huic sententiae si saltem speciem veri conciliare voluisset orator, demonstrandum erat Ergoclem re vera possedisse triginta talenta, summam pecuniae multo maiorem quam quae eo mortuo inventa esset; tum nihil habuisse initio Philocratem antequam cum Ergocle urbem reliquisset; deinde testimonia erant afferenda; sed nullum recitatur. Oratio talis est, ut dubitantem de veritate delationis iudicem movere possit nullum, confirmare fortasse praeiudicatam opinionem civium, qui per fas et nefas ditescere aerarium cupiant. Nec magno acumine opus erat adversario, qui postea verbum facturus erat, ut singula infringeret ac debilitaret. Miseram suam sortem deplorare poterat Philocrates, qui quum eo tempore quo opulentiores cives trierarchiae impensas effugerant, saluti civitatis omnia posthabuisset, nunc propterea civitatem depilasse atque defraudasse censeretur; poterat praetexere non se amicitiae sed reipublicae causa sumtus trierarchiae toleravisse, et contendere non magnam familiaritatem se cum Ergocle iunxisse (§ 7). Haec et similia eum facturum certo praevideri poterat; neque enim de „lana caprina" erat acturus sed de re familiari tota et de sua existimatione erat certaturus; imo τὸν περὶ ψυχῆς ἀγῶνα τρέχειν ἔμελλε, si aures nostro oratori iudices praeberent (§ 11). Ad haec adversarii argumenta praecavenda minime sufficit haec oratiuncula. Unum fere erat crimen quod iustam admitteret demonstrationem; pecu-

niam enim, quam Ergocles oratoribus nequicquam distribuerat, ut se capitis periculo eximerent, Philocrates ab istis repetiverat; ea res testimoniis probari poterat, si modo vera esset, sed ne in hac quidem re satisfacit accusationi orator; provocat enim ad famam apud cives sparsam, quam mendacem adversarius suo iure dicere poterat.

Oratio Lysiaca est sine ulla controversia; tam sermo, quam redarguendi et probandi ratio § 1 et 7 sibi impressam habent ita formam ingenii Lysiaci, ut apud rerum prudentes nulla dubitatio esse possit. Transitus post § 4 deest; ex superioribus minime consequitur illud quod § 5 tanquam certum proponit, duo tantum quibus se defendat, Philocrati esse, aut alios indicandos esse, qui Ergoclis bona habeant, aut Ergoclem iniuria condemnatum esse; ea quamquam pro ratione istius iudicii, in quo alia ratione rapacibus iudicibus satisfieri non poterat, verissima sunt, tamen non ita cohaerent cum superioribus, quin aliquid ibi omitti potuerit. In reliquis nulla vestigia agnosco, unde epitomen esse concludi possit. Nam quod in causa gravissimum est, ita § 6 effertur, ut ipsam Lysiae manum non epitomatoris agnoscam. Quae § 2 et 3 dicuntur brevia sunt illa nimis pro rerum gravitate; veruntamen melior est orationis forma per continuas interrogationes producta, quam ut ab epitomatore proficisci possit. Lysias igitur hanc levipensem orationem omnino composuisse videtur, sed parum studii in ea collocasse, quoniam persuasum haberet accusatum, ne si Orphei quidem suavitatem adhiberet ad defensionem, iudicum manibus eripi posse. Breviter igitur in memoriam revocavit, quae constare putabantur de Philocrate, ea re se iudicibus satisfacere ratus.

§ 2. *καὶ τούτων τῶν χρημάτων οὐδὲν ἐν τῇ πόλει φαίνεται* suspecta sunt verba *ἐν τῇ πόλει*. Nulla enim est oppositio inter cives et hostes. Nam in sequentibus *ἐχθροί*, oppositi *τοῖς κηδεσταῖς καὶ οἰκείοις*, sunt inimici, adversarii Ergoclis. Praeterea suspicatur esse re vera in urbe eius bona, quum ea exigat a familiari Philocrate, qui in urbe adest. Frequens

est in tali re *πολλοστὸν μέρος φανῆναι τὰ χρήματα τῆς δόξης* ut 19. 39 *πολλοστὸν μέρος ἦν τὰ χρήμαθ' ὧν ὑμεῖς προςεδοκᾶτε.* Ib. 34 *διὰ τοῦτ' ἠξιοῦτ' ἂν — τοὺς προςήκοντας ἀπολέσαι, ὅτι οὐδὲ πολλοστὸν μέρος τῆς δόξης τῆς παρ' ὑμῖν ἐφάνη τὰ χρήματα.* Ib. 42. *πολλοστὸν μέρος τὰ Νικοφήμου τῶν Κόνωνος χρημάτων ᾠήθη ἂν εἶναι.* Cf. etiam 14. 29 et 46. Hic quoque aptum esset *οὐδὲ πολλοστὸν μέρος φαίνεται*, unde omissis aliquot litteris (*οὐδὲ πολ . . . φαίνεται*) existere potuisse vulgatam, nemo negabit. Si nihil voluit nisi nihil usquam apparere, scripsisset *οὐδὲν οὐδαμοῦ φαίνεται.*

§ 3. *οὐ τῶν μὲν ὑμετέρων πωλητὴν* (Dobreus acute pro *πολιτῶν*) *αὐτὸν ἐξήγαγε, τῶν δ' αὐτοῦ χρημάτων ταμίαν ἐποίησε;* „Secum eum abduxit in expeditionem, specie quidem ut vestra (praedam puta aut bona publicata in sociis urbibus) „venderet, re vera autem ut suas (Polystrati) res administraret." Ita si verba explicentur dubitationi occurritur Baki, Schol. Hyp. II. p. 241, existimantis nomen magistratus (*πωλητής*) non pati genitivum, quod Poletae hi ab aliis eiusdem nominis non sint distinguendi. At oppositio satis illum genitivum defendit. Dobreus suam emendationem *πωλητήν* revocavit, verum esse iudicans *ποριστήν*. Si Poristae, ut vulgo putant, sunt magistratus, qui nova inveniunt tributa (Bekk. Anecdd. p. 294. 19: *πορισταί εἰσιν ἀρχή τις Ἀθήνησιν, ἥτις πόρους ἐζήτει*), mira iunctura est *τῶν ὑμετέρων π.* Nec offensioni est, quod alibi Poletam in bellum comitatum esse duces non legimus.

§ 4. *καίτοι δεινὸν εἰ οἱ μὲν τὰς οὐσίας ἔχοντες ὀλοφυροῦνται τριηραρχοῦντες, οὗτος δ' οὐδὲν πρότερον κεκτημένος ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ ἐθελοντὴς ὑπέστη ταύτην τὴν λειτουργίαν.* Haec neglegenter enunciata. Sententia haec requiritur: indignum, si, quum divites iure graventur liturgiam, illi concessum sit, ut tanquam immunitatem sponte susciperet. Non quod sponte suscipiebat per se indignum erat, sed quod sic *potuit* suscipere, quod spes ei data est lucri. Porro verba *ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ* cur addantur non nimis perspicuum est. Non enim

hoc significat orator illum, quum antea nihil possedisset, tum (ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ) repente ita divitem factum, ut toleraret libenter impensam; sed et πρότερον et ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ pauper erat (cf. proxima). Mallem alterum utrum abesset. Certius est pro ὀλοφυροῦνται legendum esse ὀλοφύρονται. Et sic Dobreus.

§ 5. εἰ δὲ τούτων μηδέτερον ποιήσει, δέδοκται καταψηφίζεσθαι. Improbandum δεδόχθαι, nunc fere ex coniectura receptum. Displicet enim infinitivus ab ἡγοῦμαι suspensus post alterum infinitivum προςήκειν, et sequentia (καὶ μὴ τοῖς μὲν — ὀργίζεσθαι, τοῖς δὲ — συγγνώμην ἔχειν) apparet ad irritandos iudices dicta esse, non ad referendum, quid apud iudices *constitutum* iam esset (δεδόχθαι). Vidit Dobreus necessarium esse ἀνάγκη vel simile quid. Fort. pro δέδοκται scrib. δεῖ αὐτοῦ (ΔΕΔΟΚΤΑΙ, ΔΕΙΑΥΤΟΥ).

### XXXI. ΚΑΤΑ ΦΙΛΩΝΟΣ.

Causa satis est perspicua. In δοκιμασίᾳ Senatorum, habita in senatu, Philo Acharnensis (cf § 16) qui a triginta viris civitate eiectus aliquanto demum post populare imperium restitutum Athenas redierat, accusatur a Senatore quodam, quod non tantum Piraeensibus opem non tulisset, sed etiam Oropi [1]) tanquam inquilinus habitans praedam ex agro Attico egisset.

Forma, compositione, argumentatione oratio refert Lysiae ingenium. Brevitas (quae quanta sit apparebit maxime collata Lycurgi Leocratea, quae in simili causa dicta est) a Lysia non abhorret, nec mirum accidere potest reputanti agi tantum de probatione, non quaestionem capitalem esse. Loci communes sunt § 6 et 11; malos enim cives esse, qui di-

---

1) Oropus subiecta antea fuerat Athenis, iure sociorum usa, cf. Thuc. II. 23 ὑπήκοοι coll. VI. 69, II. 101, al. Sub triginta viris et post sui iuris erat, donec interna discordia alteram ex factionibus a. 402 ad Thebanos compulit. Cf. Diod. XIV. 17.

cant patriam esse ubicunque bene sit (§ 6), sententia est pervulgaris (intpp. ad Arist. Plut. 1151, Cic. Tusc. V. 108) sed tractatio huius loci fortasse mira, sed utique nova est, nec a causa aliena, quod Philo diutius peregre manserat quam necesse erat; et *γνώμη* illa § 11 non inepta est, nisi quod, si quis calumniari velit, aliquam ostentationem (*καθέστηκε δέ τι ἔθος*) in verbis habeat. Porro quae leguntur § 24 et 32 paucis mutatis in aliis quoque orationibus inveniuntur, cf. 14. 41, 30. 26 et 32, 27. 15. Sed loci communes, modo apti nec nimis frequentes, nullam *νοθείας* demonstrationem habent apud oratores, quum praesertim in iis rebus versentur, quae in una quaque fere causa usu veniant. Nec movent me antitheta § 28, 29, 31 sub f. quae sane forma orationis inter se similia sunt (*εἰ μέν τις λίποι, — εἰ δέ τις αὐτῆς; εἰ τοὺς μετοίκους μέν, — τοῦτον δέ; εἰ οὗτος μέν — ὑμεῖς δέ*). Quamquam non nego Lysiam in hac oratione *ῥητορικώτερον* esse, ut § 26 *οὐ περὶ τοῦ βουλεύειν ἀλλὰ περὶ τοῦ δουλεύειν.* § 11 *ὅσοι δὲ γνώμῃ τοῦτο ἔπραξαν οὐδεμιᾶς συγγνώμης ἄξιοί εἰσιν.* § 31 *οὗτος μὲν ἅπαντας τοὺς πολίτας περὶ οὐδενὸς* (sic) *ἡγήσατο, ὑμεῖς δὲ τοῦτον ἕνα ὄντα μὴ ἀποδοκιμάσετε* (quamquam hoc plane Lysiacum). § 1 *ἐπειδὴ δ' οὐχ ἕν τι μόνον ἀλλὰ πολλὰ τολμηρός ἐστιν*, quod nihilo melius est quam 20. 1 *τῷ ὀνόματι τῷ τῶν τετρακοσίων, ἀλλὰ τοῖς ἔργοις ἐνίων*, satis est enim languidum nec rhetore dignum, a quo potius exspectes *οὐχ ἕν τι πονηρός, ἀλλὰ πάντα τολμηρός*, quale quid scriptum fuisse puto. § 31 molesta est et studio quaesita oppositio: *ποῖ' ἂν ἀπόρρητα τηρῆσαι (δοκεῖ), ὃς οὐδὲ τὰ προειρημένα ποιῆσαι ἠξίωσε*, sive interpreteris *interdicta — praescripta*, sive (cum Rauchenstein.) *secreta — praedicta, aperta.* Sed attendi velim ad similia quae in or. 25, (27), 30 notavi et intellegetur haec non sufficere, ut oratio a Lysia abiudicetur.

Tamen sunt quae demonstrent interpolatoris manum, ut ego opinor; neque enim mihi persuaserim hanc orationem talem ex Lysiaca officina prodiisse. Conferri velim § 1 *εἰσῆλθον*

*εἰς τὸ δικαστήριον* pro *βουλευτήριον*, quod nunc coniectura restitutum est. § 2 *μεταπορεύεσθαι ἔχθραν* pro *μετιέναι*, *μετέρχεσθαι* paene mihi ridiculum videtur; certe non Graecum. § 4 torsit se Dobreus, ut vocabulo *ἀπειρία* vulgarem imperitiae significationem vindicaret, sed pro *immenso numero* auctor posuit satis *ἀκύρως*; nam philosophus Plato non est testis excitandus. § 5 *ἀνεπιτηδείως πράττει ἡ πόλις*, oppositum *τῷ εὖ πράττειν*. § 9 insolens *τὰ τῇ κοινῇ πολιτείᾳ συμφέροντα* pro *κοινῇ τῇ πόλει* aut *τῷ κοινῷ*. § 13. *ὅς οὔ τι* ex coniectura, vera sine dubio, pro *οὔτ' εἰ* restitutum, alibi apud Lysiam non invenitur. § 20 *διὰ μόνα ταῦτα δίκαιον εἶναι ἀποδοκιμασθῆναι* requiritur, sed codd. *ἱκανόν*, sine dubio pravum, sed haud scio an *διασκευαστοῦ σφάλμα*. § 26 *δικαίως γ' ἂν — οὐ περὶ τοῦ βουλεύειν ἀλλὰ περὶ τοῦ δουλεύειν καὶ τῆς μεγίστης τιμωρίας ἐκκλησιάζεται* habet Palatinus; Laurentianus correxit *ἐκκλησιάζοιτο*. Scheibius *ἐκκλησιάζοιτε*, retinens tamen *οὐ περὶ τοῦ βουλεύειν ἀλλά*, pro quo substituendum erat *ο. π. τ. β. τοῦτον ἀλλά* (non *αὐτόν* Kayser, cf. 20. 13 18. 16, 13. 86. Dem. 18. 159. Lyc. Leocr. 42. Plaut. Poen. 3. 3. 31, Ter. Phorm. 2. 4. 21); Cobetus: *δίκαιός γ' ἂν ἦν — ἀγωνίζεσθαι*; sed *ἀγωνίζεσθαι* et *ἐκκλησιάζειν* a librariis vix possunt confundi. Haec igitur diasceuastae qui Lysiae orationem aut in breve contraxit, aut refinxit potius quam vulgari librario imputanda videntur. At ultro fateor, rem ad liquidum perduci non posse, sed idem aegre a me impetro ut haec omnia Lysiaca putem.

Ad singulos locos haec notavi:

§ 5. *ἐγὼ γὰρ οὐκ ἄλλους τινάς φημι δίκαιον* (*δικαίους*?) *εἶναι βουλεύειν περὶ ἡμῶν ἢ τοὺς πρὸς τῷ εἶναι πολίτας καὶ ἐπιθυμοῦντας τούτου.* Sententia manifesto postulat, ut *βουλεύειν* sit: senatorem esse. At *βουλεύειν περί τινος* (de homine) est fere: constituere, decernere de aliquo, qui in potestate nostra est, non idem quod *βουλεύεσθαι*. Omittendum *περί*. „Non aequum est alios ex nostro numero," rell. Ἐπιθυμεῖν de studio rei publicae 12. 90: *εἰ δ' ἀποψηφιεῖσθ' ὀφθήσεσθε*

τῶν αὐτῶν ἔργων ἐπιθυμηταὶ τούτοις ὄντες. 25. 8: οὐκ ἐλάχιστον ἐν ὑμῖν ἐστι μέρος ὡς πλείστους ἐπιθυμεῖν τῶν παρόντων νυνὶ πραγμάτων. Cf. Dem. 23. 126. Ἐπιθυμεῖν his locis non dicitur cupere rem, qua careas, sed amplecti, diligere quam habeas. Itaque τούτου est τοῦ εἶναι πολίτας.

§ 6. οὗτοι δῆλοί εἰσιν ὅτι ἂν παρέντες — ἔλθοιεν. Non alibi mihi lectum est ἂν proxime post ὅτι (particulam obiectivam) positum; et ὅτι minus habet ponderis quam ut ἂν ad se trahere possit. Fortasse ὅτι τάχ' ἄν.

Rem publicam proderent, inquit porro, et privatum quaererent emolumentum διὰ τὸ μὴ τὴν πόλιν ἀλλὰ τὴν οὐσίαν πατρίδα ἑαυτοῖς ἡγεῖσθαι. Patria, opinor, est *regio*, in qua quis natus est; nunc opes dicuntur illis patria esse. Hoc κακόζηλον est, ut quod maxime. Possis eodem iure dicere patriam esse alicui pretiosam supellectilem, liberos, uxorem, quaecunque amentur; nam illud sine quo patria patria non est, in hac comparatione neglegitur; nihil simile est, quam studium, quo amatur. Minus hoc offenderet in poeta, qui audacibus metaphoris delectatur, sed in sedato et remisso sermone oratoris putidum est. Fuit, quum Lysiam hac affectata elegantia liberare conarer, suspicatus in τὴν οὐσίαν latere τὴν τυχοῦσαν, ante hoc autem excidisse γῆν τήν. Sed frustra. Non dissimilis enim coloris est quod περὶ ἀδυνάτου (24) legitur § 14: ὁ μὲν γὰρ ὥσπερ ἐπικλήρου τῆς συμφορᾶς οὔσης ἀμφισβητήσων ἥκει, quod etsi lenitur si mea coniectura (ὡς περὶ ἐπ. τῆς συμφορᾶς) vera est, tamen satis mire claudus pes cum filia haereditaria componitur. In Epitaphio, quem sunt qui Lysiae adscribant (cf. le Beau, Lysias Epitaphios als echt erwiesen, Stuttgart, 1863) § 66 leguntur haec: ἄξιον δὲ καὶ τοὺς ξένους τοὺς ἐνθάδε κειμένους ἐπαινέσαι, οἳ τῷ πλήθει βοηθήσαντες καὶ περὶ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας μαχόμενοι, πατρίδα τὴν ἀρετὴν ἡγησάμενοι, τοιαύτην τοῦ βίου τελευτὴν ἐποιήσαντο i. e. pro patria iis virtus fuit; quod aliis patriae salus, id illis virtus praescribebat. Ista qui scripsit manifesto nostrum locum tanquam *Lysiacum* ob oculos ha-

buit. Igitur hoc voluisse videtur orator noster: sic adhaerebant patrimonio, cui omnia grata referebant, atque alii patriae.

§ 14. *ἵν' εἰδῆθ' ὅτι ταῦτα πρῶτον ἀληθῆ λέγω, ἀκούσατε τῶν μαρτύρων.* Πρῶτον, alieno loco positum, delendum. Exstitit fortasse ex A praegresso, quod pro numeri nota habitum sit.

§ 16. Nulla causa est cur lacuna statuatur port *ἐλέγχειν αὐτόν*, cuius indicia apud Cobetum casu ex Scheibi editione priore remansisse puto. Proxima sectione non recepit coniecturas olim propositas Orat. p. 84, V. L. 111: *οὗτος τοίνυν οὐχ ὅπως ὠφέλησε τὴν πόλιν ἐν τοιούτῳ καιρῷ καὶ ἀπορίᾳ τοιαύτῃ καταστᾶσαν, ἀλλὰ καὶ κερδαίνειν ἀπὸ τῶν ὑμετέρων συμφορῶν παρεσκευάσατο*, et *τότε μὲν αὐτός*, quod probabile videri posse dicit, pro *τ. μ. αὐτὸς μόνος*. Ex his ultimis si quid omittendum esset, non *μόνος*, sed *αὐτός* abiiciendum videretur. In reliquis legerim *ὠφελῆσαι* reliqua constituens, ut in codicibus sunt, ut haec sic iungantur *οὐχ ὅπως διενοήθη ὠφελῆσαι, ἀλλὰ παρεσκευάσατο ὅπως τι κερδανεῖ*, in quibus nihil est insolens, nisi quod post *οὐχ ὅπως (non tantum non)* in apodosi non *ἀλλὰ καί*, sed simplex *ἀλλὰ* invenitur (sed cf. 30. 26, Dem. 19. 265); contra in vulgata lectione *ὠφελήσει* impedita est et languida verborum cumulatio (*οὐ διενοήθη, ὅπως, — ἀλλὰ παρεσκευάσατο ὅπως* —).

§ 21. *ἐκείνη γὰρ τούτῳ μὲν ἠπίστησεν ἀποθανοῦσαν ἑαυτὴν ἐπιτρέψαι, Ἀντιφάνει δ' οὐδὲν προσήκουσα πιστεύσασα, ἔδωκεν, κ. τ. ἑ.* Taylorus et Marklandus praeferebant *προσήκοντι*. Sed ea coniectura nihil opus est. Saepius enim Attici participium adiungunt subiecto, quod ex Latinorum et nostra consuetudine alii cuidam substantivo accommodaveris. Plat. Symp. 181. D: (*παρεσκευασμένοι εἰσὶν*) *οὐκ ἐξαπατήσαντες ἐν ἀφροσύνῃ λαβόντες ὡς νέον, καταγελάσαντες οἰχήσεσθαι* (= *ληφθέντα*). Id. Prot. 320. A: *Περικλῆς δεδιὼς περὶ αὐτοῦ μὴ διαφθαρῇ δὴ ὑπ' Ἀλκιβιάδου, ἀποσπάσας ἀπὸ τούτου, καταθέμενος ἐν Ἀρίφρονος ἐπαίδευε* (= *ἀποσπασθέντα*). Cf. Id.

Gorg. 471 B et C. Thuc. VI. 7. 1. Soph. El. 1302: τὰς ἡδονὰς πρὸς σοῦ λαβοῦσα, κοὐκ ἐμὰς ἐκτησάμην. Arist. Ach. 478: σκάνδικά μοι δός, μητρόθεν δεδεγμένος. Hes. Theog. 521: δῆσε Προμηθέα δεσμοῖς — μέσον διὰ κίον' ἐλάσσας (= *transactis per* —). 538: ἔγκατα — ἐν ῥινῷ κατέθηκε, καλύψας γαστρὶ βοείῃ. 497: πρῶτον δ' ἐξήμεσσε λίθον, πύματον καταπίνων. Xen. CP. II. 3. 17: εἶπεν ὅτι βάλλειν δεήσοι ἀναιρουμένους ταῖς βώλοις, quod etsi propter librorum dissensum Dindorfio suspectum, per se recte dictum. Isae. 2. 8 ὅτι φιλῶν ἀπεβάλετο invenitur in loco sine controversia corrupto. Sed plena exemplorum omnia. Qua maxime potest participium in activo ponitur et subiecto accommodatur. — Paulo post malim ποιήσοντα quam ἂν ποιήσαντα, quod maiorem habet dubitationem, quam cum loci sententia convenit.

§ 22. εἰ μήτηρ, ἣ πέφυκε — μίκρ' ὠφελουμένη μεγάλα ἔχειν ἡγεῖσθαι — ἐνόμιζε τοῦτον κἂν ἀπὸ τεθνεώσης φέρειν ἑαυτῆς, τί χρὴ ὑμᾶς περὶ αὐτοῦ διανοηθῆναι; Μίκρ' non est codd. lectio, ut ex Cobeti editione efficias, nec coniectura Emperi, ut dicit Scheibius, sed Dobrei pro μήδ'. Idem ἔχειν delet, in quo ego quoque offendi; potius quam μεγάλ' ἔχειν exspectes πολλὰ λαμβάνειν, vel δέχεσθαι. Illae μικραὶ ὠφέλειαι non sunt χρήματα, quae quis ἔχει, possidet. Fortasse: μίκρ' ὠφελουμένη, μεγάλ' ἐκεῖν' ἡγεῖσθαι. Pauca quidem esse illa quae accipit, fatetur, sed, qui eius amor est erga liberos, magna iudicat. Sequentia κἂν ἀπὸ τεθν. φερ. ἑαυτῆς corrupta sunt; nam φέρειν ἀπό τινος absolute dictum pro *spoliare aliquem* (Rauchenst.) non est Graecum. Cobetus pro φέρειν ἀφαιρεῖν dedit. Memini ἀφαιρεῖν ἀπό τινος, *demere de summa quadam*, sed ea sententia, quae hoc loco apta sit, requiram ἀφαιρεῖσθαι, et ne hoc quidem sine obiecto positum. Equidem non novi aptius quam: ἐνομίζε τοῦτον καὶ ἀπὸ τεθνεώσης εἴργειν ἑαυτῆς. Νομίζειν ut οἴεσθαι et simm. est *aequum, congruum putare*. Cf. Buttm. Exc. V. ad Dem. Mid., Plat. Prot. 346. B, Crat. 413. D, Xen. Hell. IV. 7. 4, V. 1. 15. Hunc a corpore suo arcere voluit, etiam post mortem. Ad

*εἴργειν ἀπό* lexica suppeditant Aesch. Suppl. 61, Eur. Alc. 514, Xen. Mem. I. 2. 20, Anab. VI. 3. 8.

§ 24. *Τί οὖν βουληθέντες — δοκιμάσαιτε.* Coll. 30. 26, 14. 41 malim *τί ἂν οὖν, — δοκιμάσαιτε* quam *τί οὖν — δοκιμάσετε.* Paulo post in *σωφρονέστερον γάρ ἐστιν ὕστερον π ᾶσι τῶν ἔργων τὰς χάριτας ἀποδιδόναι*, aliquot litterae excidisse videntur; lego *τοῖς πράξασι* pro *πᾶσι*, quod a loco alienum est.

§ 31. *πῶς δ' εἰκός ἐστι τοῦτον, ὃς οὐδὲ τελευταῖος ἐπὶ τοὺς κινδύνους ἦλθε, πρότερον τῶν κατεργασαμένων καὶ οὕτω συντιμηθῆναι;* Verba *πρότερον τῶν κατεργ.* pugnant tam superioribus quam sequentibus; neque enim qui *τελευταῖος οὐκ ἦλθε*, ante eos qui rem perpetrarunt (*κατειργάσαντο*) venit, neque qui *πρότερον τῶν κατεργασαμένων* honoratur, cum iis honoratur (*συντιμᾶται*). Legendum *πρότερον ἄλλων κατεργασαμένων*, atque haec verba cum superioribus iungenda; *καὶ οὕτω* (*nihilo minus*) sic demum suo loco collocatur. In fine sectionis pro *ἀποδοκιμάσαντε* leg. *ἀποδοκιμάσετε* ut § 29.

---

# EPILOGUS.

Non alienum fuerit hoc loco colligere ea quae de singulis orationibus statuenda videantur.

| | |
|---|---|
| I. De caede Eratosthenis. | Genuina. |
| III. (nam de II. alias) adversus Simonem. | Genuina. |
| IV. De vulnere praemeditato. | Dubia, utique ἀκέφαλος; fortasse est exercitatio rhetorica. |
| V. Pro Callia. | Parvum fragmentum, quod Lysiae esse potest. |
| VI. In Andocidem. | Suppositicia. |
| VII. De trunco oleae sacrae. | Genuina. |
| VIII. Πρὸς τοὺς συνουσιαστὰς κακολογιῶν. | Suppositicia. |
| IX. Pro milite (Polyaeno). | Suppositicia. |
| X. In Theomnestum I. | Genuina. |
| XI. In Theomnestum II. | Epitome superioris, suppositicia. |
| XII. In Eratosthenem. | Genuina. |
| XIII. In Agoratum. | Genuina. |
| XIV. In Alcibiadem I. | Genuina. |
| XV. In Alcibiadem II. | Suppositicia; fortasse παραπεποίηται ex genuina. |

| | | |
|---|---|---|
| XVI. | Pro Mantitheo. | Genuina. |
| XVII. | De bonis Eratonis. | Epitome. |
| XVIII. | De bonis Eucratis liberorum. | Fragmentum genuinum. |
| XIX. | De bonis Aristophanis. | Lysiaca sed non optima. |
| XX. | Pro Polystrato. | Suppositicia. |
| XXI. | Apologia δωροδοκίας. | Lysiaca, epilogus. |
| XXII. | Κατὰ τῶν σιτοπωλῶν. | Lysiae, sed fortasse ex recentiore recensione. |
| XXIII. | In Pancleonem. | Excerpta ex Lysiaca. |
| XXIV. | Pro invalido. | Lysiae. |
| XXV. | Δήμου καταλύσεως ἀπολογία. | Lysiae. |
| XXVI. | De Evandri probatione. | Lysiae. Pauca interierunt. |
| XXVII. | In Epicratem. | Rhetoris recentioris. |
| XXVIII. | In Ergoclem. | Lysiae, epilogus. |
| XXIX. | In Philocratem. | Epitome fortasse. |
| XXX. | In Nicomachum. | Lysiae esse potest. |
| XXXI. | In Philonem. | Lysiae, sed παραπεποίηται. |

# INDEX.

# ARGUMENTUM.

I. De Lysiae dicendi genere.



II. Annotata ad singulas orationes.

# ERRATA.

Non graviter feret aut Mehlerus aut Naberus, spero, quod alterum pro altero substitui p. 45.

P. 59 l. 7 leg. διαβεβλημένος, pag. 143 l. 13 leg. τετταράκοντα omissa distinctione. Ceterum quod paucis vitiis liber inquinatus est, gratum refero amico Doct. M. A. DE JONGH, qui specimina typographica me rogante benevole correxit.